BIBLIOTHECA

SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM

TEVBNERIANA

PAVLINVS PELLAEVS

CARMINA

ACCEDVNT
DVO CARMINA EX COD. VAT. VRB. 533

EDIDIT

CARLO M. LVCARINI



MONACHII ET LIPSIAE
IN AEDIBVS K. G. SAVR MMVI

Bibliografische Information der Deutschen Nationalbibliothek

Die Deutsche Nationalbibliothek verzeichnet diese Publikation in der Deutschen Nationalbibliografie; detaillierte bibliografische Daten sind im Internet über **http://dnb.d-nb.de** abrufbar.

Gedruckt auf alterungsbeständigem Papier.
Druck und Bindung: Druckhaus „Thomas Müntzer", 99947 Bad Langensalza

ISBN-13: 978-3-598-71323-1
ISBN-10: 3-598-71323-1

ALMAE MATRI

SCHOLAE NORMALI SVPERIORI

D. D. D.

ALVMNVS

IN HOC LIBRO CONTINENTVR

PRAEFATIO

Saeculis IV et V, Theodosiis et Valentinianis imperantibus, dum lamentabili casu impetu barbarorum Romanum robur confringitur, Paulini nomen frequentabatur[1]. Paulini nostri, auctoris scilicet *Εὐχαριστικοῦ Deo sub ephemeridis vitae meae textu*[2] et *Orationis*, quae nunc emundatiora Tibi, optime lector, praebere conor, nemo aequalium, quorum scripta aetatem tulerunt, mentionem fecit, sed codex aliquis Gallicus nunc deperditus (**x**), ex quo et codex Bernensis (**B**) et ille (**α**) a Margarino de la Bigne suae editioni (**M**) conficiendae (anno huius aetatis MDLXXIX publici iuris factae) usurpatus, *Εὐχαριστικὸν* Paulino cuidam tribuebat. Margarinus de la Bigne, nominis aequalitate deceptus, Meropio Pontio Paulino, Nolanae urbis episcopo, carmen addixit, ignotae et exoletae famae auctoris opusculo famigerabilis et divitis penus conferciens. Iniuriam animum advertit (a. MDCXIV) J. Sirmondus, quem non fefellit auctorem *Εὐχαριστικοῦ* Decimi Magni Ausoni, viri consularis et disertissimi poetae, nepotem (utrum ex filio an ex filia, infra videbimus) multis annis Meropio Pontio Paulino iuniorem fuisse. Ausonius sine dubio Paulini avus fuit, ut duo versus nepotis demonstrant (*Εὐχαρ.* vv. XLVIII-XLIX): etenim rationibus subductis invenies "annum eundem" esse CCCLXXIX, in quem incidit consulatus Ausoni. Oritur hic lubrica quaestio, qui pater Paulini fuerit, utrum scilicet Hesperius Ausoni filius an Thalassius eiusdem gener. Cum recentiores eruditi, Seeckium[3] secuti, Paulinum ex Thalassio natum esse universi fere consentiant, et me tanti ducis vestigia ingredi non pigebit, dummodo de una re translaticiae iam sententiae adversemur.

Tradit Paulinus patrem suum proconsulem Africae fuisse (*Εὐχαρ.* v. XXXV); constat autem et Hesperium et Thalassium iisdem prope annis (Hesperium per annos CCCLXXVI-CCCLXXVII, Thalassium saltem ab initio anni CCCLXXVIII) Africae proconsulatum gessisse. Novem

[1] Cf. e. g. J. R. Martindale, *The Prosopography of the later Roman Empire*, II voll., Cambridge MCMLXXI-MCMLXXX, s. v. Paulinus.

[2] Ut opusculum *Εὐχαριστικὸν Deo sub ephemeridis vitae meae textu* inscriberem suasit mihi insolentia formae *Εὐχαριστικός* (forma autem Εὐχαριστικὸν et Statius, *Silv.* IV, II usus est); si cui forma a me probata facilior videbitur, cogitet et -ON grandioribus characteribus in -OC posse corrumpi (eo quod litterae O et C simillimae erant). Quare autem editores litteras Graecas ex inscriptione sustulerint, plane non video. Cf. et A. Carlini, *Eusebio contro Ierocle e Filostrato*, «Mathesis e Mneme. Studi M. Gigante», I, pp. CCLXIII-CCLXXIV, Napoli MMIV.

[3] Q. Aurelii Symmachi *Quae supersunt*, edidit O. Seeck, Berolini MDCCCLXXXIII, pp. LXXVII-LXXVIII.

mensibus nondum exactis Paulinus, Pellis relictis, Carthaginem appulsus est, ubi invenit patrem proconsulem, quicum duodeviginti menses in Africa mansit. Postmodum Romam venit, inde Burdigalam petiit, ubi avum Ausonium puer nondum tertium annum egressus primum vidit. Cum ab initio anni CCCLXXVIII Africae proconsul fuerit Thalassius (cf. *Cod. Theod.* XI, XXXVI, XXIII-XXV), ratione confecta, Hesperium Paulini patrem non fuisse emerget. Si enim novem menses, quibus Pellis poeta noster lactebat, illis duodeviginti, quibus Carthaginem degit, necnon illis (de quorum numero non constat) Romae peractis addideris, Tibi constabit Paulini patrem ante anni CCCLXXVIII initium Africae proconsulatum deponere non potuisse (quod plane fecit Hesperius): quae cum ita sint, sine dubio Paulinus Thalassi filius fuit[4]. Hesperium autem Ausoni filium iam anno CCCLXXVII proconsulatu deposito ad praefecturam esse provectum, quod Seeck et Moussy contendunt[5], quominus concedam adhuc morantur quae argumentatus est Brandes (pp. CCLXVIII-CCLXXIII).

Quo tempore Ausoni filia Paulinum ediderit iam inquirendum. Anno CCCLXXIX nondum puer "primam trieteridem" (*Εὐχαρ.* vv. XLVIII-L) exegerat, unde efficitur Paulinum anno CCCLXXVI vel CCCLXXVII luminis oras ingressum esse. Triginta prope menses Pellis, Carthagine, Romae exegit antequam Burdigalam anno CCCLXXIX veniret: si initio eius anni Burdigalam venit, vergente anno CCCLXXVI natus est, si dimidio vel fine, anno CCCLXXVII ineunte vel medio ortus est. Si diem natalem exactius exquisiveris, parum proficies. Contendit nuper A. Coskun[6] Paulinum natum esse mense Sextili anni CCCLXXVII. Quo indicio fretus? Quamquam enim Coskunio concedas (id quod dubitationem habet) Aprili anni CCCLXXVIII Thalassium Africae proconsulatum inisse, nullo modo sequitur ut Paulinum Sextili anni CCCLXXVII ortum esse statuas. Lege quae scripsit Coskun (pp. CCCXXXIII-CCCXXXIV): "*The proconsuls of Africa usually inaugurated their office in April or September; assuming that Thalassius was given a successor by the end of September 379, his tenure, wich lasted ca. eighteen months (v. 34), would have begun in April 378. Accordingly, Paulinus' birth in Pella, can be dated ca. eight to nine*

[4] Vir doctissimus, qui maxime huic opinioni refragatus est, G. Brandes (Paulini Pellaei *Eucharisticos*, rec. et comm. crit. instr. G. Brandes, CSEL XVI, I, Vindobonae-Pragae-Lipsiae MDCCCLXXXVIII, pp. CCLXVI-CCLXXIV), ut de ratione temporum sibi constaret, erroris Paulinum arguere coactus est (p. CCLXXIV).

[5] Paulin de Pella, *Poème d' action de grâces et prière*, intr., texte crit., trad., notes et index par C. Moussy, Paris MCMLXXIV, pp. X-XIII.

[6] A. Coskun, *Chronology in the Eucharisticos of Paulinus Pellaeus: a Reassessment*, «Mnemosyne» s. IV, LV (MMII), pp. CCCXXIX-CCCXLIV.

months earlier (ca. August 377), since he arrived at Carthage in his 9th month (v. 32 f. ante suum nono quam menstrua luna recursu / luce novata orbem nostro compleret ab ortu)." Omnis ista elucubratio errore nititur, cum Coskun pro certo habeat Paulinum semper patrem suum esse comitatum. Duodeviginti menses Paulinus in Africa mansit ? Ergo tantundem temporis, opinatur Coskun, pater proconsulatum tenuit, quod poeta noster (vv. XXXIV-XXXV) minime affirmat: potuit enim Paulinus patrem iam dignitatem obtinentem invenire, id quod, ut mihi videtur, ex versu XXVIII efficitur. Dicit enim Paulinus se, Pellis relictis, Carthaginem contendisse "trepidis nutricum creditum ulnis", quod vix dixisset si cum parentibus iter fecisset. Africam Paulinus una cum nutricibus, sed sine parentibus, appulsus est; quo tractu patrem proconsulem nanctus est[7]. Quae cum ita sint, haudquaquam contendere auderem, quod fecit Coskun, Paulinum Sextili anni CCCLXXVII natum esse: tota enim Coskuni ratio ex ea coniectura pendet, Paulinum scilicet infantulum semper patrem suum comitatum esse, cum ipsius poetae verba hoc destricte denegent.

Cum ergo a dimidio anni CCCLXXVII ad medium annum sequentem spatium quo Paulinus oriri potuit posuerimus, nunc de aetate qua poemation scribere aggressus sit agendum. Lege hos versus (*Εὐχαρ.* CCCCLXXIV-CCCCLXXVIII):

> Post autem, exacta iam ter trieteride quinta,
> rite recurrente statuto tempore Pascha
> ad tua, Christe Deus, altaria sacra reversus
> te miserante tua gaudens sacramenta recepi
> ante hos ter decies super et his quattuor annos.

Ita haec verba e calamo Paulini fluxerunt, ut Courcelle et Moussy[8], Tillemonti emendatione accepta (cf. app. ad v. CCCCLXXIV), iam bene viderunt. Si enim poeta annum XLV agebat anno XXXIV antequam opusculum componeret, efficitur anno CCCCLV / CCCCLVI *Εὐχαριστικὸν* esse conscriptum. Lege, quaeso, nunc vv. XI-XIV:

> ... te protectore senescens

[7] Recte igitur statuit A. Marcone (Paolino di Pella, *Discorso di ringraziamento*, a cura di A. Marcone, Fiesole MCMXCV, comm. ad v. XXXV) Thalassium mense Aprili anni CCCLXXIX proconsulatum deposuisse, quem inierat Octrobri anni CCCLXXVII.

[8] P. Courcelle, *Histoire littéraire des grandes invasions germaniques*, Paris MCMLXIV (ed. tertia), p. CLXVII adn. III, Moussy, *cit.*, pp. XVII-XVIII.

altera ab undecima annorum currente meorum
hebdomade sex aestivi flagrantia solis
solstitia et totidem brumae iam frigora vidi.

Si annorum numerum subduxeris, videbuntur Tibi haec verba annis CCCCLIX / CCCCLX esse conscripta, quod tempus ab illo quod ex versibus CCCCLXXIV-CCCCLXXVIII collegeramus discrepat. Huic inconstantiae medelam, qua erat subtilitate, adhibuit Barth versu CCCCLXXVIII ita resarso: "... super et bis quattuor annos". Cave tamen nitor margaritae aciem praestringat, cum lectioni traditae lux et aptissimus sensus inferatur, si modo quis intento animo vv. DLIV-DLXXXI lustret: etenim iam Brandes (prol. p. CCLXXVI) animum advertit vv. DLXIV-DCXVI postea esse additos. Si igitur statuerimus vv. DLXIV-DCXVI priori operis parti serius adiunctos esse, coniectura et nos non aberrabimus, sicut collineavit Courcelle. Sed, opinor, consurget hic callidus lector ut mihi opponat et vv. XI-XIV nos supra contendisse annis CCCCLIX / CCCCLX e Paulini stilo profluxisse: quam difficultatem statim dilutam confiteberis, si modo legeris quae ipse in praefatione Herodiani (p. IX), quem anno superiore in hac Bibliotheca publici iuris feci, disserui[9]. Paulinus, cum opusculum suum in lucem emissurus esset, quae ad temporum rationes pertinerent, tantum in primis versibus reconcinnavit, reliquis autem, sicut erant, adquievit. Qua in re cum et Herodianum, tempore ac natione a nostro remotissimum, aequali tenore egisse recolueris, satis mirari non poteris veteres quanta socordia res suas memoriae prodiderint. Quae et a nostrae aetatis ineptiarum cantoribus in memoria habenda essent, ne, dum peregrinas imitationes longius repetunt significationesque necopinatas cavillationesque consectantes rudioribus venditant, veterum sententias futtilibus subtilitatibus inquinent.

Si quae hucusque, annorum numero inito, augurati sumus recta sunt, omnino refelletur iudicium Coskuni, qui erroribus quos supra coarguimus opinionem fallaciorem miscuit, Paulinum scilicet sine intervallo poema composuisse (cf. p. CCCXXX).

Si bene attenderis, intelliges me paene omnino Courcellei de vita et scriptis Paulini sententiae adquiescere. Cuius viri doctissimi et hanc opinionem incunctanter amplectar, poemation, quod *S. Paulini oratio* inscribitur, Paulino nostro esse vindicandum. Latuit opella longa saeculorum serie inter opuscula S. Paulini Nolani, utriusque Paulini studiosos fallens aut decipiens, usque

[9] Herodianus, *Regnum post Marcum*, ed. C. M. Lucarini, Monachii et Lipsiae MMV.

[10] P. Courcelle, *Un nouveau poème de Paulin de Pella,* «Vig. Christ.» I (MCMXLVII), pp. CI-CXIII = *Histoire littéraire des grandes ... cit.* pp. CCXCIII-CCCII.

ad annum MCMXLVII, quo Courcelle eam Paulino Pellaeo adseruit[10]. Gallici viri argumenta iterare supervacaneum esset, cum luculentissima sint neque adhuc confutatorem invenerint. Obtineat igitur porro secundum *Εὐχαριστικὸν* locum haec *Oratio*.

Venio ad aliam quaestionem ponderis haud despectabilis, quam doctus Italus F. Della Corte abhinc fere XLV annos proposuit[11]. Paulini Pellaei imitationes Ausonianas a Brandesio Funaiolioque[12] collectas recolenti promptum erit eas paene omnes in corpore scriptorum Ausonianorum a **V** (Leid. Voss. Lat. CXI) servato deprehensas esse. Constat autem collectionem Vossianam (**V**) a viro Ausonio coniunctissimo, cum ipse poeta iam diem obisset, confectam esse.

Ad hoc epistula quaedam Aureli Symmachi (I, XXV), cui rescriptum Ausonianum deest, sine, ut videtur, causa, litteris duorum virorum a **V** servatis irrepsit. Rem satis miram explicavit Della Corte, qui opinatus est istam Symmachi epistulam hac de causa in collectionem Vossianam relatam esse, uti videlicet Symmachi, viri cum paucis insignis, praeconium, quo Thalassium, Ausoni generum, prosequebatur, lectitaretur. Quis alius nisi Ausoni nepos Thalassique filius collectionem Vossianam concinnavit ? Ego Della Cortio, etiamsi haesitans, adstipulor, sed satis mirari nequeo socordiam recentiorum editorum Ausoni (Pretei praecipue Greenique), qui de hac re, ut dicebant Athenienses, οὐδὲ γρῦ[13].

Paulini carmina pauci evolverunt neque mirum est si in indicibus grammaticorum Latinorum a Keilio confectis unus tantum locus ex nostro inveniatur (scil. *Orationis* v. X: "inlecebras turpesque iocos", ap. *De dubiis nominibus*, vol. V, p. DLXXXI, ll. XVII-XVIII K.), neque iste ex magno poemate, sed ex *Oratione*, quae nimirum inter Paulini Nolani opera circumferebatur.

Εὐχαριστικοῦ unum, ut iam Brandes autumavit (prol., pp. CCLXXXIII-CCLXXXV), exemplar (**x**) aetatem tulit, idque, sicut mihi videtur, in Galliis, ut monstrant eius apographa, utraque ex Lugdunensi oriunda. Margarinum exemplar suum (**α**) ex Gallica quadam bibliotheca, vel prorsus Parisina, petiisse probabilissimum est, cum neque ipse umquam

[11] F. Della Corte, *L'ordinamento degli "Opuscula" di Ausonio*, «Riv. di cult. class. e med.» II (MCMLX), pp. XXI-XXIX = *Opuscula* IV (MCMLXXIII).

[12] G. Funaioli, *De Paulini Pellaei carminis «Eucharisticos» fontibus*, «Mus. Belge», IX (MCMV), pp. CLIX-CLXXIX.

[13] Vide invicem quae scripsit F. G. Sirna, *Ausonio, Paolino e il problema del testo ausoniano*, «Aevum» XXXVII (MCMLXIII), pp. CXXIV-CXXXV.

patriae fines transmiserit nec tanto recensendi studio presbyter flagraverit ut longinquos codices conquireret[14]. De Bernensis codicis (**B**) origine parum constat, sed vir de manuscriptorum vicibus unice meritus, B. Bischoff, ex Aureliana civitate vel eius vicinia oriundum putavit[15]. Ego summam feci harum cogitationum atque collegi memoriam nostram Paulinianam ex Gallia boreali profectam esse ibidemque archetypon **x** olim servatum esse.

Antequam de necessitudinibus, quae codicem Bernensem et editiones religant (itemque has ipsas inter se), disputo, omnium testium census habendus est. Agmen ducit

Bernensis (**B**) CCCXVII, nunc in bibliotheca publica civium Bernensium asservatus, saec. IX exaratus. Bernae bis contuli, mensibus Martio et Iunio anni MMVI. Hunc testem mihi accuratissime descripsit bibliothecae Bernensium custos humanissimus necnon doctissimus, M. Germann, cui grates debitas pendere vix possum. Est codex membraneus, cm. XXVI x XVI, foll. XIV, qui *Εὐχαριστικὸν* tantum continet, in singulis columnis XXIV versuum[16] exaratus. Annis DCCCXXV-DCCCL tribuit Bischoff, DCCC-DCCCXXX Germann. Duobus quaternionibus constat, quorum alteri duo ultima folia abscissa sunt, primo numerus xliii praescriptus est. Haud levis labor hunc codicem conferenti oritur: manum enim, quae prima versus exararat et a se scripta crebro mutarat (**B**, $\mathbf{B}^1$), secutae sunt tres ($\mathbf{B}^2$, $\mathbf{B}^3$, $\mathbf{B}^4$), quae correxerunt quaedam vel adnotarunt. Cum ego distinguendis his manibus operam navare coepissem, iam Brandesium omnia sagaciter perspexisse animum adverti. Qua de causa viri doctissimi verba proferre non despexi (prol. pp. CCLXXXII-CCLXXXIII): "Compendia praeter usitatissima syllabarum *et, um, am, que, bus, per, prae* et si qua sunt similia, deinde vocabulorum *Christus, deus, noster, omnis* pauca reperiuntur. Paulini carmen hodie solum exhibet atque sine lemmate antiqua manu scripto neque ullo ad id spatio in capite paginae relicto. [...] Primae manui (**B**, $\mathbf{B}^1$), quae codicem scripsit, altera videtur esse aequalis ($\mathbf{B}^2$), quae multis locis omissa addidit, commissa correxit, pauca in margine quoque interpretamenta notavit.

[14] Ut Margarini exemplar invenirent iam L. Leipziger (Paullini *carmen Eucharisticum*, proleg. et adnotat. illustratum, Diss. Vratislaviae MDCCCLVIII, praef. p. XIII) et Brandes (prol. p. CCLXXXI) frustra satagerunt, ego autem editioni Parisinae adquievi, cum neque fructum ex nova catalogorum inspectione sperarem neque, etiamsi destinata assecutus essem, aliquid lucri ad textum constituendum me percepturum censerem.

[15] B. Bischoff, *Katalog der festländischen Handschriften des 9. Jh. (mit Ausnahme der Wisigotischen)*, Wiesbaden MCMXCVIII, pars I, cod. DCIV.

[16] Fortasse a duabus manibus, quarum altera crebro alteram excipiebat, ut vult Bischoff, exaratus est, sed mihi de hac re non licuit.

Mutavisse eam manum gravissima quaeque e codicis alicuius auctoritate, vel unus versus 428 prima manu per negligentiam omissus, altera in margine adiectus testatur. Atque idem fuisse exemplar, e quo codex descriptus erat, cum omnino sit veri simillimum, loci indicant complures, quos a priore scriptore aut nihil aut parum intellectos altera manus ex eiusdem scripturae vestigiis vocabula recte constituendo vel adeo lacunas explendo emendavit (cf. 194. 256. 284. 312. 488.). Ab eadem manu altera signum  profectum est, quadraginta versibus eis, qui metricam aliquam offensionem habere viderentur, in margine appictum (20. 39. 53. 61. 91. 98. 110. 116. 160. 170. 194 (del. m. 3). 197. 208. 242. 276 (del. m. 3). 294. 306. 331 (del ipsa m. 2). 341. 357. 398. 413. 415. 438. 443. 449. 460. 474. 477. 493. 516. 521. 526 (527 ?). 528. 529 (eras.). 542. 566. 573. 575. 588. 599). Tertia manus[17] (**B**^{3}) multo recentior (XVI vel XVII puto saeculi) in margine et signa quaedam († ad versus 335. 341. 468. 508. 537, // ad v. 399) et coniectanea notavit ad verba scriptoris emendanda, in ipso qui dicitur textu perpauca correxit atque maxime quidem dirimendo vocabula. Ad eam manum referenda censeo, quae in summa primae paginae margine leguntur: *Incerti auctoris* εὐχαριστικός, quamquam vocabula priora hodie in leni rasura quarta manu renovata extant (**B**^{4})[18]. Nihil enim aliud eo loco ante rasuram fuisse litterarum forma tertiae manus scripturae simillima satis probat. Eidem quartae manui, quam saeculo XVIII vel ipsi nostro ineunti assignaverim, deberi videtur speciosa ad corruptum praefationis locum coniectura (cf. praef. 2), item numeri 2-14 quibus folia notata sunt."

Jacobi Bongarsi (MDLIV-MDCXII) locupletissimae bibliothecae Bernensem vindicavit Brandes, sed me de his rebus percontantem admonuit Germann ne nimia fiducia hanc coniecturam amplexarer, cum insigne Bongarsianum hic codex non praebeat. Attamen iam anno MDCXXXIV de bibliotheca publica Bernensi una cum libris Bongarsianis censebatur, cum in catalogo a S. Hortino confecto[19] inveniatur. Si praeterea cogitaveris bibliothecam Bongarsianam magna ex parte ex libris Petri Danielis constitisse, Petrum vero Danielem Aurelianensem multis voluminibus in monasterio Floriacensi prope urbem Aurelianam asservatis potitum esse[20],

[17] Petri Danielis hanc manus fuisse suspicatus sum (qua ex causa infra intelliges), sed ipsius viri chirographa Bernae asservata coniecturam refellunt.

[18] Quarta manus fuit verisimiliter S. Hortini, ut me monuit M. Germann.

[19] S. Hortin, *Clavis bibliothecae Bongarsianae*, Bernae MDCXXXIV.

[20] De his rebus ad duo H. Hageni opuscula Te delego: *Der Jurist und Philolog Peter Daniel aus Orleans* (Bern MDCCCLXXIII) et *Jacobus Bongarsius. Ein Beitrag zur Geschichte der gelehrten Studien des 16-17 Jahrh.* (Bern MDCCCLXXIV). Cf. et M. Germann, *Die Burgerbibliothek Bern*, Bern 2002, pp. XCIII-CXVIII.

veri simile Tibi, opinor, videbitur codicem Bernensem, quem ex urbis Aurelianae vicinia oriundum esse iam Bischoff suspicatus est, una cum aliis Danielis libris in Bongarsi bibliothecam cessisse.

Ab Hortini aetate in hodiernum Bernae codex mansit, usque ad annum MDCCCLXV latens neglectus[21], cum C. Halm, vir non minus de recensendis quam de emendandis Latinis scriptoribus benemerentissimus, ad partes vocavit[22], unde factum est ut primus Brandes in Paulino refingendo hoc teste usus sit. Ego tantum hic illic quae Brandes huic manui tribuerat illi vindicavi, quaedam ab ipso negligenter relata tacite correxit, sed hoc me redintegrare non piget, Brandesium mirabili aciei intentione paene omnia in Bernensi dispexisse[23].

Antiquitate et pretio Bernensem sequitur Margarini de la Bigne (MDXLVI / LVII - MDLXXXIX) editio (**M**), quam clarus ille presbyter, catholicae fidei propugnator, anno MDLXXIX in vol. VIII (id est in appendice) *Bibliothecae Sanctorum Patrum* excudit. Qua causa in recentioribus huius bibliothecae editionibus, quae continenter suppeditabantur, Paulini poema prelis prohibitum sit sane ignoramus, cum neque de eius resipiscentia post "dogmata prava" (cf. v. CCCCLXXII) umquam, quod sciam, dubitatum sit nec alii scriptores iuxta asperi et inconcinni eadem oblivione multati sint. Editionem perraram inveni Romae in bibliotheca Angelica ibidemque mense Iunio huius anni contuli.

C fere anni transierant, cum Paulini *Εὐχαριστικὸν* iterum prelis commissum est, opera et studio Christiani Daumi (MDCXII-MDCLXXXVII)[24]. Haec editio (**ed. Barthii**), quamquam viri docti

[21] Quamquam iam in catalogo codicum Bernensium a J. R. Sinnero confecto (Bernae MDCCLX-MDCCLXII) et in indice Paulini *Εὐχαριστικὸν* nominatur.

[22] C. Halm, *Verzeichnis der älteren Handschriften lateinischer Kirchenväter in den Bibliotheken der Schweiz*, «Sitz. Ak. Wiss. Wien», MDCCCLXV.

[23] Qua in re negligentius egit Moussy, qui ne unum quidem Brandesi errorem sustulit, quosdam immo intulit, multa et magni momenti praetermisit.

[24] *Bendicti Paulini Petrocorii de vita b. Martini libri sex, cum notis Francisci Iureti, Eiusdem ad nepotulum ab eodem recensitum carmen, itemque epigramma basilicae Martini apud Turones inscriptum. Tertulliani carmen de Iona et Ninive, pariter a Iureto editum et illustratum. Paullini, Ausonii nepotis, Eucharisticum. Caspar Barthius omnia recensuit et animadversionibus illustravit. Accesserunt et notae in Paullinum Petrocorium Johannis Francisci Gronovii et indices auctorum rerumque. Cura et studio Christiani Daumii*, Lipsiae MDCLXXX / XXXI. Hic liber duobus voluminibus constat, quorum alterum annum MDCLXXX prae se gerit, primum MDCLXXXI. Anno MDCLXXXVI denuo editio excusa est.

inscriptione decepti hucusque ingenio et doctrinae Daumi eam vindicaverint, iam antea quam Daum Paulino refingendo operam navaret, ut infra monstrabimus, parata erat. Daum Paulinum Pellaeum una cum Paulini Petricordiae *Vita b. Martini* Tertullianique, ut credebatur, *Carmine de Iona et Ninive* publicavit adiectis Barthianis, suis, aliorumque doctorum animadversionibus. Hunc librum identidem lustravi Romae in aedibus bibliothecae Casanatensis, mensibus Iunio et Quintili anni MMVI.

Deinde anno MDCCLXVI, in vol. VI collectionis Pisaurensis[25] Paulinus noster prodiit (**ed. Pis.**), una cum aliis poetis Christianis. Contuli Pisis Etruscis in bibliotheca Universitatis, mense Maio huius anni.

Saeculo XIX fere medio Paulinum, tamquam operibus Ausoni mantissam, maiore merito quam fama in collectione Panckouckeiana edidit E. F. Corpet (**Corpet**)[26], quippe cuius coniecturae in hodiernum latuerunt. Contuli per imagines.

Quibus Corpetum fraudaverat oculata et linguosa Dea partim L. Leipzigerum (**Leipziger**), F. Haasei discipulum, ditavit, qui postremus sine Bernensis auxilio Paulinum anno MDCCCLVIII Vratislaviae prelis subiecit. Contuli per imagines.

Post triginta annos Guilelemus Brandes, Paulinianae criticae facile princeps, C. Dicki, C. Schenkli, M. Petschenigi, insignium scilicet philologorum, qui tum CSEL moderabantur, sodalis, primum iusta editione Ausoni nepotem donavit. Eius vestigia institit H. G. Evelyn White[27]. Secutus est abhinc fere sex lustra C. Moussy[28], deinceps J. Vogt[29], A. Marcone[30].

Testibus omnibus censis, de ipsorum necessitudinibus agendum. Codicem Bernensem et illum a Margarino de la Bigne adhibitum ex eodem exemplari nunc deperdito (**x**) pendere utrumque sua via monstravit Brandes, cui nemo oblocutus est, neque nos, cum duo codices communes errores habeant, uterque autem proprios quosdam praebeat, quibus alter numquam suo Marte medelam

[25] *Collectio Pisaurensis omnium poematum, carminum, fragmentorum Latinorum*, vol. VI, Pisauri MDCCLXVI.

[26] Ausonius, *Ouvres complètes*, trad. nouv. par E. F. Corpet, II voll., Paris MDCCCXLIII.

[27] *Ausonius*, with an Engl. Transl. by H. G. Evelyn White, II voll., London-Cambridge, Massachusetts MCMXIX-MCMXXI (vol. II, pp. CCXCV-CCCL). Editio Brandesi et in PL Suppl. III, pp. MCXV-MCXXVIII (a. MCMLXVI) recusa est.

[28] Paulin de Pella, *Poème d' action de grâces... cit.*

[29] J. Vogt, *Der Lebensbericht des Paulinus von Pella*, «Studien zur antiken Sosialgeschichte. Festschr. F. Vittinghoff», herausgg. von W. Eck, H. Galsterer und H. Wolff, Köln-Wien MCMLXXX, pp. DXXVII-DLXXII.

[30] Paolino di Pella, *Discorso di ringraziamento... cit.*

adhibere potuisset, Brandesi sententiam impugnare audebimus.

Vide sis hos errores communes:

praef. 1 profectu] Barth profecto **x**; ib. 2 [me] del. Barth habet **x**; 17 versu<s>] ego versu **x**; 30 Aegaeumque] ego Oceanumque **x**; 53 <posthac> add. Brandes om. **x**; 58 libens] Brandes videns **x**; 117 Latioque] **ed. Barthii** latio quae **x**; 174 quisset] Barth quissent **x**; 270 et] **ed. Pis.** Haase ex **x**; 283 refertae] Brandes referta **x**; 335 <...> lacun. habet x; 346 ut] Barth consilii ut **x**; 362 gnarus] Daum gnaros **x**; 415 Novaeque] Brandes Novique **x**; 432 parante] Haase paranti **x**; 452 prohibendo] ego prodendo **x**; 480 probarem] Leipziger probare **x**; 493 primo] Barth prima **x**; 507 participantum] ego participando **x**; 523 esset] Corpet esses **x**; 526 cultumque] ego aliunde **x**; 536 conductis] **ed. Barthii** conductus **x**; 541 evictus] Brandes est victus **x**; 575 mihi ignotum] Corpet ignotum mihi **x**; 598 quam] Leipziger qua **x**; 608 discrimine] Brandes discrimina **x**.

Vide nunc haec codicis **B** menda, quorum **M** in partem non venit:

59 huic] hoc **B**; 76 comperto] comperta **B**; 110 ulla] ullam **B**; 182 quam quae] quamque **B**; 202 quae] qua **B**; 314 omni] omnis **B**; 368 sed] et **B**; 442 quaerere] quaere **B**; 495 dolori] doloris **B**; 501 maiorem] maioreme **B**; 529 vite] vitae **B**; 549 posset] posses **B**; 551 per dispendia] perdis pendia **B**; 601 vergit] vergi **B**.

Si hi errores separativi inter **B** et **M** pauci parvique momenti videntur, lege haec dilucida Brandesi verba, quae siglis tantum accommodatis Tibi transcribo (p. CCLXXXIV-CCLXXXV): "...**M**, si ex **B** fluxisset, descriptum esse oporteret posteaquam altera manus scripturam correxit; aliter enim cum vocabula compluria tum integros versus 428 et 488 habere non posset. Atqui **M** nonnulla servat corrupta, quae **B**^{2} correxit, qualia sunt *steriles* 83, *incautos* 106, *nec lecta* 184, quin etiam *malasuada* 190, *perparvus* 528, quae, nisi oculi me fallunt, correcta sunt iam manu prima. Adde quod Bignianae editionis corruptelae pleraeque ex ipso Bernensi oriri prorsus non potuerunt; nam, ne tales quidem, quales *diversa* 210, *rupta* 238 ad Bernensem scripturam *diversę, ruptę*, sed ad pleniorem redeunt". Si haec a Brandesio subtilius excogitata erroribus codicis **B** quos ego nuper collegi addideris, videbitur Tibi, opinor, **M** ex **B** fluere non potuisse.

Ecce nunc aliqua quae in **M** corrupta leguntur, genuina in **B**:

praef. 3 ipse] ipsa **M**; 67 vitare] evitare **M**; 106 gessi] gesti **M**; 115

videbar] videbat **M**; 120 placitos] placidos **M**; 162 hac] haec **M**; 183 nimiis] munus **M**; 214 cenus] causas **M**; 315 qua] quam **M**; 417 nec] et non **M**; 464 operando] operanda **M**; 468 penitenda quae mihi noram] om. **M**; 486 recusans] recursans **M**; 579 possem] possim **M**; 581 vitare nova] vita renova **M**; 608 nec me] me nec **M**.

Rebus sic stantibus omnes Brandesio mihique concessuros censeo **B** et **M** utrumque sua via e **x** pendere.

Editiones autem, quae ante Brandesium partae sunt, omnes vel directim ex **M** vel ex aliquo ipsius **M** nepote fluunt. Ab editione Lipsiensi anni MDCLXXX / XXXI incipiamus, de cuius origine adhuc non recte iudicarunt viri docti, cum tamquam editio Daumi audiat, ipsi vero Daumio nihil nisi aliquas adnotatiunculas (pp. CCCLI-CCCLII) extremasque curas, uti scilicet sub prelis subiceretur, debeat. Lege ante omnia voluminis inscriptionem: *Bendicti Paulini Petrocorii de vita b. Martini libri sex, cum notis Francisci Iureti, Eiusdem ad nepotulum ab eodem recensitum carmen, itemque epigramma basilicae Martini apud Turones inscriptum. Tertulliani carmen de Iona et Ninive, pariter a Iureto editum et illustratum. Paullini, Ausonii nepotis, Eucharisticum. Caspar Barthius omnia recensuit et animadversionibus illustravit. Accesserunt et notae in Paullinum Petrocorium Johannis Francisci Gronovii et indices auctorum rerumque. Cura et studio Christiani Daumii.* Lege nunc haec verba ex Daumi praefatione: "Quin et alterius Paulini, Ausonii nepotis, carmen Eucharisticum, quod Margarinus de la Bigne in Appendice Bibliothecae Patrum an. MDLXXIX primus promulgarat, nec a Coloniensibus, nescio an ab aliis subsequis, fuerat repetitum, Barthiusque itidem Animadversionibus suis illustratum iverat, comitem illis [scil. ceteris poetis quos tunc Daum publici iuris faciebat] dedit [scil.: typographus]. Haec omnia editione hac iunctim, prout Barthius voluit, exhibemus, textum tamen, suis de causis[31], Paulini Petrocorii et Tertulliani, exceptis primis pagellis, quae ex Barthiani exemplaris antigrapho recudebantur, ad Iureti exemplar expressum". F. B. Carpzovio, rei publicae Lipsiensium senatori, ita de Paulino Petricordiae loquitur Daum: "a nobilissimo Barthio hac facie iam olim adornato, et ad typos mihi commendato".

Nescio qua via Paulini duo Tertullianique quod ferebatur *Carmen de Iona et Ninive*, ab illo clarissimo poeseos Romanae emendatore Casparo Barthio (MDLXXXVII-MDCLVIII), ut Daumio videbatur, refincti, in manus Daumi Lipsiensis venerunt, qui, qua erat in Barthium observantia et admiratione, quamquam illo tempore Saxonia gravissima peste adflictabatur,

[31] Quas infra pandit Daum, Barthium scilicet totam *Vitam b. Martini* libidine coniectandi correptum ex arbitrio mutasse.

assecutus tamen est ut nihilominus liber excuderetur. Editionem autem Lipsiensem nullo modo ut Daumianam posse respici, efficitur cum ex Daumi verbis prolatis tum ex ipsius adnotationibus, quae, ut iam significavimus, seorsum inveniuntur (pp. CCCLI-CCCLII), quarum ne una quidem in textum irrepsit. Vides igitur, candide lector, quam perperam fecerit Moussy, qui lectiones omnes, haud raro optimas[32], quae in editione Lipsiensi leguntur, Daumio tribuit (vide in Moussyi adnotatione versus 139, 182, 238, 255, 453, 536, 579, 583, 584, 591, 612), cum viro docto hae tantum coniecturae sint asserendae, quas ipse in pp. CCCLI-CCCLII ut suas protulit (ad versus 180, 360, 362, 399, 449).

Oritur hic difficilis quaestio, cui scilicet recensio quae in editione Lipsiensi exhibetur sit vindicanda. Verba Daumi a me exscripta legenti facilis sed fallax occurrit coniectura, Barthium hunc textum instruxisse. Quam coniecturam dilucide arguunt ipsius Barthi adnotationes, quae in ipsa Lipsiensi editione leguntur, ex quibus efficitur Barthium legisse quidem *Εὐχαριστικὸν* quale in editione Lipsiensi exhibetur, sed ab eius lectione persaepe offensum remedium excogitasse, quod in notis proposuit. Cum remedia Barthiana, plerumque optima, in recensione Lipsiensi numquam adhibeantur, concluditur ne ipsi quidem Barthio (nedum Daumio) hanc recensionem posse vindicari: sin minus Barthi emendationes, dumtaxat certissimae atque luculentissimae, suum locum in textu obtinerent. Quis igitur recensionem Lipsiensem instruxit ? Nescimus, sed veri simile est eundem doctum fuisse qui Barthio Paulini Petricordiae ἀπόγραφον paravit. Huius apographi in adnotatione quadam Daumi ad Paul. Petr. *Vita b. Mart.* 2. 610 mentionem inveni: "Iuretus legerat, ut supra videre est, *O vero confine bonum*. Quod autem Barthius eum *Non vero* scripsisse ait, id ita non esse vides. Fefellerat eum apographum ex Parisina editione, in quo, cum a festinante manu scriptum fuisset *ō*, pro *ô* legit ille *Non*". Quae cum ita de Paulino Petricordiae se habuerint, qua re aliter cum Pellaeo actum sit non video. Accepit igitur Caspar Barth a nescio quo editionis Margarini ἀπόγραφον, iam ab illo viro satis litterato emundatum; huic viro debentur omnes emendationes quae in recensioni Lipsiensi leguntur, quas in mea adnotatione **editioni Barthianae** tribuuntur. Barthio Daumiove illae invicem sunt vindicandae, quas ipsi tamquam suas in adnotationibus a Daumio prelis commissis protulerunt (Barthio et illae quae in *Adversariis* vivus publicarat[33]).

Huic parti et de alia quaestione mihi oborta (quam et aliis Daumi adnotationum scrutatoribus obventuram credo) disputationem tamquam appendicem volo adiungere. In praefatione (§ 4) Εὐχαριστικοῦ inter cetera

[32] Sunt et quae postea in **B** inventae sint.

[33] C. Barth, *Adversariorum commentariorum libri sexaginta,* II voll., Francofurti MDCXXIV.

haec scripsit Paulinus: "... ex ipso libelli titulo praenotato evidenter debet advertere", quae in recensione Lipsiensi ita deturpata sunt: "...ex quo libelli titulo...". Talis corruptio in sola editione Lipsiensi invenitur, cum omnes alii testes genuinam praebeant lectionem. Barth, cui scilicet Margarini editio non suppeditabat, suo Marte corrigere temptavit, sed Daum, cui Margarini editio prae manibus erat, haec adnotavit: "EX QUO LIBELLO) EX IPSO LIBELLO Paris. et Colon.". Quae verba ἵνα ζήτημα ποιῶσιν videntur scripta. Coloniensis est enim editio *Bibliothecae* sacrae Margarini quae post eius mortem Coloniae Agrippinae anno MDCXVIII prodiit. Constat autem, id quod supra diximus, Paulini *Εὐχαριστικὸν* post editionem principem anni MDLXXIX numquam in *Bibliotheca Sanctorum Patrum* Margarini excusum esse (cfr. Brandes, prol. p. 286 et ipsius Daumi haec in censu editionum patrum verba: "Paulini Pellaei, quod hic recudimus prius in lucem emiserat Marg. Bigneus in Append. Bibl. Patrum MDLXXIX fol."). Ego verbis Daumi conturbatus atque deceptus *Bibliothecae* Margarini editiones funditus excussi (Coloniensem anni MDCXVIII, Parisinam anni MDCXLIV, Lugdunensem anni MDCLXXVII) at, cum Paulini vestigium nusquam invenissem, desperabam me rem expediturum esse. Deinceps Daumi editionem semel atque iterum evolventi explicatus effulsit. Observavi enim doctum Lipsiensem copula "Parisiensis et Coloniensis" in adnotationibus ad Paulinum Petricordiae, quae in nostra editione illas ad Paulinum Pellaeum praecedunt, persaepe uti, hoc vero loco satis naturaliter, cum Paulini Petricordiae *Vita b. Martini* post *Bibliothecae Patrum* editionem principem et in Coloniensi repetita sit: unde apparet Daumium consuetudine prolapsum formulam "Paris. et Colon." in adnotationes ad Paulinum Pellaeum intulisse.

Si de editionis Barthiano-Daumianae origine atque auctoribus parum diligenter inquisiverunt viri docti, de Paulino in collectione Pisaurensi prodito (**ed. Pis.**) toto caelo errarunt, cum ex editione Margarini fluxisse statuerint (Brandes prol. p. CCLXXXVII, Moussy p. XLIV), id quod a veritate omnino abhorret. Editores Pisaurenses[34], cum Paulini *Εὐχαριστικοῦ* praefationem nescio qua causa excluserint, suam intulerunt, in qua lectorem certiorem fecerunt anno MDCLXXXI Lipsiae *Εὐχαριστικὸν* cura et studio C. Daumi prodisse. Quae cum legissem, statim **ed. Pis.** ex **ed. Barthii** descendisse suspicatus sum, lectionesque ad partes vocatae id mihi probarunt. Omnes enim editionis Margarini errores **editione Barthii** vitati et **editione Pisaurensi** vitantur correctionesque luculentae ab illo ignoto **editionis Barthi**

[34] In epistula Carolo Moscae Barzio, quem in primo volumine praeposuit, Paschalis Amatus chalcographus affirmat se multos consiliarios exscriptoresque conduxisse.

auctore excogitatae omnes **editione Pisaurensi** receptae sunt; vide hos, verbi gratia, locos:

115 videbar] **ed. Barthi ed. Pis.** videbat **M**; 117 Latioque] **ed. Barthi ed. Pis.** latio quae **M**; magistro] **ed. Barthi ed. Pis.** magro **M**; 137 durans quae] **ed. Barthi ed. Pis.** duransque **M**; 139 cedente] **ed. Barthi ed. Pis.** caedente **M**; 173 iuventae] **ed. Barthi ed. Pis.** inventae **M**; 238 ruptae] **ed. Barthi ed. Pis.** rupta **M**; 245 aequaevos] **ed. Barthi ed. Pis.** aeque vos **M**; 371 et praestanda prius] **ed. Barthi ed. Pis.** praestanda et prius **M**; 430-431 quamlibet offensum: nec fas non reddere duco; / sed, bene si sapio, gratanda haec] **ed. Barthi ed. Pis.** quamlibet offensum. Nec fas non reddere duco, / sed bene si sapio gratanda haec **M**; 453 maiora meis] **ed. Barthi ed. Pis.** maioram eis **M**; 463 magna manus] **ed. Barthi ed. Pis.** magna magnus **M**; 504 sic compensandum] **ed. Barthi ed. Pis.** sic co impensandum **M**; 508 iuvenis] **ed. Barthi ed. Pis.** invenis **M**; 536 conductis] **ed. Barthi ed. Pis.** conductus **M**; 583 novas] **ed. Barthi ed. Pis.** novus **M**; 608 ne me] **ed. Barthi ed. Pis.** me nec **M**; 612 omnem] **ed. Barthi ed. Pis.** omne **M**.

Exstant item pauci errores **editione Barthi** illati quos religiose **editio Pisaurensis** servavit:

211 refertis] **ed. Barthi ed. Pis.** refectis **x**; 280 certos] **ed. Barthi ed. Pis.** coeptos **x**; 381 partae] **ed. Barthi ed. Pis.** pactae **x**; 465 tunc] **ed. Barthi ed. Pis.** tum **x**.

Si de coniecturis vel optimis quas Barth Daumve in adnotationibus proposuerunt nunc percontaris, scito tales margaritas editores Pisaurenses vel non illexisse vel prorsus fefellisse: quocirca **editione Pisaurensi editio Barthi** omnino repraesentatur, paucissimis exceptis, quae **ed. Pis.** vel per errorem deformavit vel felici coniectura resarsit. Cum de illis Te infra certiorem facturus sim, de his, qui re vera uno tantum loco continentur, mox dicam. Lege versum CCLXX: "obfuerint studia et nostri evidenter honores". Ita **ed. Pis.** (quae "et" scripsit) et Corpet (qui "honores" scripsit) , cum **x** "obfuerint studia ex nostri evidenter honoris" praeberet[35].

Eadem fere ignavia viri docti in **editione Corpeti** perpendenda egerunt,

[35] **Editioni Pisauriensi** emendationem primus vindicavit Brandes (Leipziger Haaseio tribuerat), Corpeto ego (quae antea ut Brandesi audiebat). Et versui CCLIX genuinam scripturam "malim" pro "mallim" prima reddidit **ed. Pis.**

quippe qui vel eam omnino ignorarunt (Leipziger, Brandes) vel quid inesset boni non animadverterunt (Moussy). Atqui Corpet, cum primus Barthi Daumique coniecturas pensitasset, suas quoque haud spernendas protulit (quarum partem postea suo Marte denuo excogitarunt Leipziger, Haase, Brandes), quae hic primum πρώτῳ εὑρετῇ restituentur[36]. **Editionis Corpeti** fundamentum fuit **ed. Barthii**, quae paene semper repraesentatur, illis scilicet locis exceptis, quos vel suo Marte Corpet refinxit (Corpeti in emendando felicitatis curiosos ad adnotationem meam delegare mihi liceat) vel ad meliorem lectionem Barth Daumve reduxerant. Corpetum **M** non adhibuisse inde efficitur, quod errores singulares **editionis Barthianae**, Margariniana scilicet vitatos, quos nuper protuli, recepit: quae res minime accidisset si Corpeto, Paulini editori satis diligenti[37], **M** praesto fuisset. Corpetum **editione Pisaurensi** potius quam **Barthii** nixum esse suspicanti, hos errores singulares **editionis Pisaurensis** offero, quos editor Gallicus evitavit:

5 placida] **ed. Pis.** placita **rell.**; 118 cepissem] **ed. Pis.** cepissemque **rell.**; 123 potius] **ed. Pis.** potior **rell.**; 127 statuit] **ed. Pis.** studuit **rell.**; 151 nec] **ed. Pis.** me **rell.**; 175 ne] **ed. Pis.** ni **rell.**; 246 hos] **ed. Pis.** hoc **rell.**

Ne Te haec suspicio amplius perturbet et illud cogita, multas Barthi Daumique emendationes Corpetum recepisse, quas sola editio Lipsiensis ei suppeditare poterat.

De **Leipzigeri editione** paucis absolvam. Primus editor Vratislavensis adnotationem textui subiecit, qua lectiones **M** et **editionis Barthii** (anni MDCLXXXVI) coniecturasque virorum doctorum referret. **Ed. Pis.** et **ed. Corpeti** eum fefellerunt, ut et eius verba ostendunt[38].

Leipzigero successit post XXX annos Brandes, qui primus **B** adhibuit omnesque superiores editiones (Corpetiana excepta), quamquam cursim, inspexit[39].


[36] Scito in superioribus editionibus Corpeti nomen numquam apparere.

[37] De eius Paulini Petricordiae editione cf. Petschenig, prol. pp. VII-VIII.

[38] P. XIII: "Carmen Eucharisticum Paullini, quod antea incognitum fuerat, primum a Margarino de la Bignée in appendice Bibliothecae Patrum Parisiis anno 1589 [ita] editum est, nulla mentione adiuncta, ubi codex manuscriptus carminis repertus sit [...]. E quo tempore una tantum editio ad nostram pervenit notitia, Chr. Daumi, qui in praefatione operi praefixa indicavit, idem in Coloniensi Bibliotheca Patrum non esse repetitum neque etiam de alio, qui postea id edendum curaverit, sibi quidquam compertum esse".

[39] In laudibus Brandesi et haec numeranda, laterculum poetarum a Paulino adhibitorum primum composuisse; quibus fortasse, praeter locos a Funaiolio

Codicum veterumque editionum necessitudines hoc stemma adumbrare potest:



Brandesium Moussy abhinc fere XXX annos excepit; illa enim editio a H. G. Evelyn White parata recensioni Brandesianae omnino adquiescit. Moussyi opus, etiamsi *Εὐχαριστικοῦ* recensioni parum profecerit, de Paulino optime meritum est, quippe quod eius orationem, antea ieiunis illis tantum adnotationibus Barthi Leipzigeri et Brandesi commendatam, perpetuo et copioso commentario prosecutum sit. Recensione Moussyiana deinde nixi sunt J. Vogt, A. Marcone.

Ego Bernensi bis collato editiones omnes primus evolvi earumque nexus pandere conatus sum; deinde Paulinianos versus identidem relegi uti

detectos, et Terentianus quidam adiungendus: cf. D. Nardo, *Un' eco terenziana in Paolino di Pella*, "Atti e memorie dell' Acc. Patavina di Scienze, Lettere ed Arti. Classe di Scienze Morali, Lett. ed Art." LXXXVI p. III (MCMLXXIII-MCMLXXIV), pp. CXXI-CXXIII. Praeterea *praefationem* in paragraphos primus divisit Brandes.

medelas aptissimas vel meas vel aliorum adhiberem. Coniecturas primis inventoribus primus restitui.

Hactenus περὶ *Εὐχαριστικοῦ*. Paulini *Orationis* textus codicibus **N** et **V** nititur, cuius lectiones, cum mihi testes inspicere non vacasset, ex adnotationibus Hartleiana et Moussyana (quae fere semper conspirant) deprompsi.

Quod carmina, quae in appendice (pp. XXV-XXXV) edidi, pertinet, Paulino Pellaeo (nedum Nolano, cuius opera in codice comitantur) non esse vindicanda satis constat, cum coniectura illa A. Busei[40], carminis scilicet, cui ego *Conquestio de domesticis calamitatibus* inscripsi, auctorem Paulinum nostrum fuisse, iam explosa sit neque posthac gratiam apud quemquam captura videatur. Haec *Conquestio*[41] in codice Vaticano Urbinate DXXXIII (saec. XV, **U**) sequitur carmen (ff. LXXXI r.-LXXXI v.) amplius, cui *Ignoti peccatoris Precatio* a me inscriptum est. Haec duo carmina, quae obtinent extremam partem codicis reliquis foliis Paulini Nolani carminibus stipati, primus edidit A. Mai[42], veterum scriptorum sospitator indefessus, cuius manu haec formula in **U** ante utrumque carmen scripta est: "Videtur ineditum". Edidit denuo Guilelmus de Hartel (collationibus I. Zechmeisteri et G. Weinbergeri nisus)[43], deinceps quaedam bona excogitarunt M.G. Bianco[44], A. Ruggiero[45]. Ego mense Iunio huius anni in bibliotheca Vaticana Urbinatem denuo contuli; deinceps, erroribus editorum sublatis, et illos librariorum studui eicere.

Si cui nimis moroso haec appendix reliquis non satis apta videbitur, non pudet confiteri me fere eodem consilio in his omnibus poematibus edendis

[40]A. Buse, *Paulinus Bischof von Nola und seine Zeit*, II vol., Regensburg MDCCCLVI, vol. I, p. CLVIII.

[41]Quae foliis LXII r.-LXVII r. continetur.

[42]Ss. Episcoporum Nicetae et Paulini *Scripta ex Vaticanis codicibus edita*, ed. A. Maius, Romae MDCCCXXVII.

[43]Sancti Pontii Meropii Paulini Nolani *Carmina*, rec. et comm.. crit. instruxit G. de Hartel, Vindobonae-Pragae-Lipsiae MDCCCXCIV (CSEL XXX, II).

[44] M.G. Bianco, *La vita alla luce della sapienza. Il Carme anonimo Sancte Deus lucis lumen de concordia rerum*, Roma MCMXC.

[45]Paolino di Nola, *I Carmi*, Intr., trad., note e indici a cura di A. Ruggiero, Roma MCMXC. Haec editio, textu Latino addito, anno MCMXCVI Neapoli denuo prelis subiecta est, sed, cum novae editionis exemplar frustra per bibliothecas Nationales Italicas quaesissem neque inde me fructum percepturum sperarem, quandoquidem Ruggieri recensio Hartelianam fere semper repraesentat (cf. «Lexis» XVI, MCMXCVIII, p. CCLXXXV), priore tantum usus sum.

esse ductum, uti scilicet opellae aliter situ obsitae longiusque petendae in bibliopolarum tabernis modico aere parabiles poeseos Christianae studiosis praesto essent.

Quantopere mihi Bernae versanti opitulatus sit Martinus Germann, bibliothecae Bongarsianae antistes, iam supra commemoravi, nec minus negotio meo auxilium exhibuit Marcus Buonocore, qui me de bibliothecae Vaticanae monumentis continenter sciscitantem cito epistulis certiorem faciebat.

Magistris sodalibusve, qui huic novae Paulini recensioni aliquo modo faverunt (scilicet: F. Biddau, I. B. Conte, D. Galli, C. Moreschini, S. Ottaviano, Ph. Pontani, V. Prosperi, C. Santini, F. Stok, V. Sturli), iure grates rependo; nec silentio transmitti patiar laborem viri mihi amicissimi, Viti Lorussi, qui plagulas corrigendas mecum partitus est.

De hac editione (ut olim de Herodiano) duae praecipue mulieres bene promeruerunt, C. O. Tommasi Moreschini et E. Schuhmann: haec, qua est erga me benevolentia, ut nova Paulini editio Bibliothecae Teubnerianae continuo insereretur operam navavit; illa, relictis parumper commentationibus suis, quibus assidue Christianos auctores enarrat atque enucleat, laudes suas et hac voluit cumulare, Paulinum meum, quantulus is cumque erat, machinae computatrici accommodasse.

Scribebam Pisis Etruscis in aedibus bibliothecae Scholae Normalis Superioris, Non. Sept. a. huius aetatis MMVI

Carolus Martinus Lucarini

EDITIONES PAVLINI AD TEXTVM CONSTITVENDVM VTILES

Brandes = *Paulini Pellaei Eucharisticos, rec. et comm. crit. instr. G. Brandes*, Vindobonae- Pragae-Lipsiae 1888 (CSEL XVI 1, pp. 262-334).

Collectio Pisaurensis = *Collectio Pisaurensis omnium poematum, carminum, fragmentorum Latinorum*, vol. VI, Pisauri 1766.

Corpet = Ausonius, *Ouvres complètes*, trad. nouv. par E. F. Corpet, II voll., Paris 1843.

Daum = *Bendicti Paulini Petrocorii de vita b. Martini libri sex, cum notis Francisci Iureti, Eiusdem ad nepotulum ab eodem recensitum carmen, itemque epigramma basilicae Martini apud Turones inscriptum. Tertulliani carmen de Iona et Ninive, pariter a Iureto editum et illustratum. Paullini, Ausonii nepotis, Eucharisticum. Caspar Barthius omnia recensuit et animadversionibus illustravit. Accesserunt et notae in Paullinum Petrocorium Johannis Francisci Gronovii et indices auctorum rerumque. Cura et studio Christiani Daumii*, Lipsiae 1680.

Leipziger = L. Leipziger *Paulini carmen eucharisticum prolegomenis et adnotationibus illustratum*, Diss. Vratislaviae 1858.

Margarinus de la Bigne = *Bibliotheca Sanctorum Patrum*, vol. VIII (*Appendix bibliothecae veterum patrum varia de deo et rebus divinis complectens opuscula et fragmenta ... per Marguarinum de la Bigne, sacrae theologiae doctorem*, Parisiis 1579, coll. 281-294 et 1392-1393.

Moussy = Paulin de Pella, *Poème d'action de grâces et prière, intr., texte crit., trad., notes et index par C. Moussy*, Paris 1974.

EDITIONES CARMINVM QVAE IN APPENDICE INVENIVNTVR

Bianco = M.G. Bianco, *La vita alla luce della sapienza. Il Carme anonimo Sancte Deus lucis lumen concordia rerum*, Roma 1990.

Hartel = Sancti Pontii Meropii Paulini Nolani *Carmina*, rec. et comm.. crit. instruxit G. de Hartel, Vindobonae-Pragae-Lipsiae 1894 (CSEL XXX 2).

Mai = Ss. Episcoporum Nicetae et Paulini scripta ex Vaticanis codicibus edita, ed. A. Maius, Romae 1827.

Ruggiero, A. Ruggiero cf. adnot. XLV.

OPVSCVLA AD PAVLINI TEXTVM CONSTITVENDVM PERTINENTIA

G. Baehrens, *Ad Orientium*, "N. Jahr. f. cl. Phil. u. Paed." 58 (1888), pp. 389-397.

C. Barth, *Adversariorum commentariorum libri sexaginta*, II voll., coll. 947-949, Francofurti 1624.

Ch. Caeymeaux, *La Métrique de Paulin de Pella*, "Mus. Belge" 1 (1897), pp. 308-317.

Id., *Le Style de l' Eucharisticos de Paulin de Pella*, "Mus. Belge" 2 (1898), pp. 161-167.

P. Courcelle, *Un nouveau poème de Paulin de Pella*, "Vig. Christ." 1 (1947), pp. 101-113 = *Histoire littéraire des grandes invasions germaniques*[3], pp. 293-302.

G. Funaioli, *De Paulini Pellaei carminis "Eucharisticos" fontibus*, "Mus. Belge" 9 (1905), pp. 159-179.

F. Haase, apud Leipzigerum

A. Longpré, *Particularités prosodiques et métriques de Paulin de Pella*, "Cah. des ét. anc." 2 (1973), pp. 89-112.

C. M. Lucarini, *Marginalia*, "Eos" 92 (2005), pp. 244-246.

Ch. Müller, *Observationes grammaticae in Paulini Pellaei carmen Eucharisticum*, Berlin 1933.

C. Schenkl, apud Brandesium

L.S. Tillemont, *Histoire des empereurs et des autres princes qui ont regné durant les six premiers siècles de l'Eglise*, 6 voll., Paris 1690-1738.

P. Tordeur, *Concordance de Paulin de Pella*, Bruxelles 1973.

CONSPECTVS SIGLORVM

B Bernensis 317 (s. IX)
M editio a Margarino de la Bigne anno 1579 Lutetiae publici iuris facta
x consensus B et M

N Parisinus Lat. 7558 (saec. IX)
V Leidensis Vossianus Lat. 111 (saec. IX)
x consensus N et V

In formis adcelero, adpeto, adsiduus, conlatus, inlecebra, inlicitum, inlustris, inmodicus, inpensius, etc. scito me Bernensem esse secutum, cum **M** accelero, appeto, etc. fere semper praebeat, ita in formis umquam (unquam **M**), qualiscumque (qualiscunque **M**), quamquam (quanquam **M**).

PAVLINI ΕΥΧΑΡΙϹΤΙΚΟΝ DEO
SVB EPHEMERIDIS MEAE TEXTV

PRAEFATIO

1 Scio quosdam inlustrium virorum pro suarum splendore virtutum ad perpetuandam suae gloriae dignitatem ephemeridem gestorum suorum proprio sermone conscriptam memoriae tradidisse. A quorum me praestantissimis meritis tam longe profectu quam ipsa temporis antiquitate discretum non utique ratio aequa consilii ad contexendum eiusdem prope materiae opusculum provocavit, cum mihi neque ulla sint gesta tam splendida, de quibus aliquam possim captare gloriolam, nec eloquii tanta fiducia, ut facile audeam cuiusquam opera scriptoris aemulari; 2 sed, quod non piget confiteri, iam dudum me in peregrinatione diuturna aerumnosi otii maerore marcentem misericordia, ut confido, divina ad huiusmodi [me] solacia affectanda pellexit, quae simul et bene sibi consciae senectuti et religioso proposito convenirent, ut, qui me scilicet totam vitam meam Deo debere meminissem, totius quoque vitae meae actus ipsius devotos obsequiis exhiberem eiusdemque gratia concessa mihi tempora recensendo eucharistichon ipsi opusculum sub ephemeridis meae relatione contexerem, 3 sciens profecto et benignae ipsius misericordiae circa me fuisse, quod indultis humano generi temporariis voluptatibus etiam ipse prima mea aetate non carui, et in hac quoque parte curam mihi providentiae ipsius profuisse, quod me adsiduis adversitatibus exercens evidenter instruxit, nec inpensius me praesentem

Incerti auctoris εὐχαριστικὸς B^3 S. PAULINI ΕΥΧΑΡΙϹΤΙΚΟΝ M INCIPIT PRAEFATIO x 3 ephemeridem] *ed. Barthii* aephimeredem B aephemeridem M 4 A quorum] Ad quarum B, *corr.* B^2 5 profectu] *Barth* profecto x quam ipsa] quam <ab> ipsa *conieci, servato* profecto 8 splendida] *post hoc verbum ras. in* B 11 peregrinatione] *scil. Massiliae, cf. v. 520 sqq.* 11-12 maerore marcentem] B^4 (*sed* moer.) memorem arcentem B memoria marcescentem M maerore marcescentem *Brandes* 12 [me] *del. Barth* 18 ephemeridis] *ed. Barthii* aephimeredis B aephimeridis M 19 benignae...misericordiae] benigna...misericordia M *unde* de benigna i. misericordia *coniecit Barth* 20 ipse] ipsa M 21 carui] B *Barth* carni M

beatitudinem debere diligere, quam amittere posse me scirem, nec adversis magnopere terreri, in quibus subvenire mihi posse misericordias ipsius adprobassem. 4 Proinde si quando hoc opusculum meum in cuiusquam manus venerit, ex ipso libelli
5 titulo praenotato evidenter debet advertere me hanc meditatiunculam meam, quam omnipotenti Deo dedico, otio meo potius quam alieno negotio praestitisse, magisque id meorum esse votorum, ut hoc qualecumque obsequium meum acceptum Deo sit, quam ut carmen incultum ad notitiam
10 perveniat doctiorum. 5 Attamen si cui forsitan magis curioso tantum otii ab re sua fuerit, ut laboriosum vitae meae ordinem velit agnoscere, exoratum eum cupio ut, sive aliquid seu forsitan nihil in gestis vel in versibus meis, quod possit probare, reppererit, ea tamen ipsa quae legerit oblivioni potius incul-
15 cata deleget, quam memoriae diiudicanda commendet.

Enarrare parans annorum lapsa meorum
tempora et in seriem deducere gesta dierum,
ambigua exactos vitae quos sorte cucurri,
te, Deus omnipotens, placidus mihi, deprecor, adsis
5 adspiransque operi placita tibi coepta secundes,
effectum scriptis tribuens votisque profectum
ut tua te merear percurrere dona iuvante.
Omnia namque meae tibi debeo tempora vitae,
auram ex quo primum vitalis luminis hausi,
10 inter et adversas iactatus saepe procellas
instabilis mundi te protectore senescens

2 adversis] adverds M 5 praenotato] praenotate B *corr.* B[1] 10 Attamen] Adtamen B 12 velit] vellit B, *corr.* B[2] exoratum eum] exoratumeum B, *dist.* B[2] seu] sive M 13 forsitan] forsitam M 14 reppererit] repperit B, *corr.* B[1] repererit M legerit] B (quaelegerit) elegerit M inculcata] *scripsi* inculpata x inculcanda *Brandes* EXPLICIT PRAEFATIO x

INCIPIT EYXAPICTIKOC deo sub aephimeridis meae textu B INCIPIT EYXAPICTIKON DEO sub aephimeridis meae textu M 1 lapsa] *ed. Barthii* labsa x 2 gesta] gestu B, *corr.* B[1] 4 *in mg.* de B[3] Deus] Dei B, *corr.* B[1] deprecor] *inter* r *et* e *ras. in* B te precor *Brandes* 5 placita] placito *Barth* 9 hausi] ausi B 11 instabilis] B[3] *Barth* instabiles x

altera ab undecima annorum currente meorum
hebdomade sex aestivi flagrantia solis
solstitia et totidem brumae iam frigora vidi
15 te donante, Deus, lapsi qui temporis annos
instaurando novas cursu<m> revolubilis aevi.
Sit mihi fas igitur versu<s> tua dona canentem
pangere et expressas verbis quoque pendere grates,
quas equidem et clausas scimus tibi corde patere,
20 ultro sed abrumpens tacitae penetralia mentis
fontem exundantis voti vox conscia prodit.
Tu mihi lactanti vires in corpore inerti
ad toleranda viae pelagique incerta dedisti,
editus ut Pellis inter cunabula quondam
25 regis Alexandri prope moenia Thessalonices
patre gerente vices inlustris praefecturae,
orbis ad alterius discretas aequore terras
perveherer, trepidis nutricum creditus ulnis,
ninguida perque iuga et sectas torrentibus Alpes
30 Aegaeumque fretum Tyrreni et gurgitis undas
moenia Sidoniae Carthaginis usque venirem,
ante suum nono quam menstrua luna recursu
luce novata orbem nostro compleret ab ortu.
Illic, ut didici, ter senis mensibus actis
35 sub genitore meo proconsule rursus ad aequor
expertasque vias revocor, visurus et urbis
inclita culminibus praeclarae moenia, Romae;
quae tamen haut etiam sensu agnoscenda tuentis
subiacuere mihi, sed post comperta relatu

12 meorum] eorum B, *corr.* B^{1} 13 hebdomade] *tacite Barth* ebdomade x sex] sexte B sexta B^{1} 14 brumae iam] brumaeam B, *corr.* B^{1} frigora] B *Barth* frigore M 15 Deus] Dei B, *corr.* B^{1} 16 cursu<m>] *Barth* cursu x aevi] aevo B, *corr.* B^{1} 17 versu<s>] *scripsi (cf. „Eos" XCII anni 2005, p. 245)* versu x 19 equidem] quidem B, corr. B^{3} clausas] clauso M 20 abrumpens] erumpens *Barth* 22 in] et *conieci* 27 orbis] B^{3} $P^{mg.}$ *Barth* urbis x aequore] aequora B, *corr.* B^{3} 28 perveherer] perveheret M 29 ninguida] nuiguida M 30 Aegaeumque] *scripsi* Oceanumque x *a Demetriade, opinor, conscendit* Tyrreni] Tyrrem M 31 Carthaginis] *ed. Barthii* Chartaginis x 32 nono] novo M 34 ter senis] terrenis B, *corr.* B^{1} 35 proconsule] per consule M 36 urbis] orbis *Barth* 37 *ita interpunxi; ceterum* culminibus *obscurum est* 38 quae tamen] quaetamen B haut] haud M tuentis] tuenti *Brandes dub.*

40 adsiduo illorum, quibus haec tum nota fuere,
propositum servans operis subdenda putavi.
Tandem autem exacto longarum fine viarum
maiorum in patriam tectisque advectus avitis
Burdigalam veni, cuius speciosa Garumna
45 moenibus Oceani refluas maris invehit undas
navigeram per portam, quae portum spatiosum
nunc etiam muris spatiosa includit in urbe.
Tunc et avus primum illic fit mihi cognitus, anni
eiusdem consul, nostra trieteride prima.
50 Quae postquam est expleta mihi firmavit et artus
invalidos crescens vigor et mens conscia sensus
adsuefacta usum didicit cognoscere rerum,
quidquid iam <posthac> potui meminisse, necesse est
ipse fide propria de me agnoscenda retexam.
55 Sed quid ego ex nostris aliud puerilibus annis,
quos mihi libertas ludusque et laetior aetas
conciliare suis meritis potuisse videntur,
vel magis ipse libens recolam, vel dignius ausim
inserere huic nostro, quem versu cudo, libello
60 quam pietatis opus studiumque insigne parentum
permixtis semper doctrinam augere peritum
blanditiis gnaramque apto moderamine curam
insinuare mihi morum instrumenta bonorum
ingenioque rudi celerem conferre profectum,
65 ipsius alphabeti inter prope prima elementa
nosse cavere decem specialia signa amathiae
nec minus et vitia vitare ἀκοινονόητα ?

43 advectus] adnectus M 44 speciosa] spaciosa *Barth* Garumna] Garunna B 47 Nunc] non B^2 haec P hac *Barth* 51 mens] meus M sensus] sensu *conieci, cum* adsuefacta *scil. coniungendum* 52 adsuefacta] adsue facta M 53 Quidquid] Quicquid B^1 M <posthac> *add. Brandes* Quicquid enim potui, meminive egisse, necesse est *Barth* 58 libens] *Brandes* videns x volens *Baehrens* 59 huic] hoc B 61 doctrinam augere] *scripsi* doctrinam exercere x docta exercere *C. Schenkl* bene doctrinam exercere *Barth* mixtis semper doctrinam exercere *Leipziger* 62 gnaramque] *Brandes* gnarum que B quorumque M horumque *Barth* 65 alphabeti] *ed. Barthii* alfabeti x prima elementa] primelementa B, *corr.* B^1 prima elemeuta M 66 decem] decim B 67 vitare] evitare M ἀκοινονόητα] *Brandes* akoinononta B akinononta M ἀκοινώνητα *Leipziger interr. interp. Corpet*

Quarum iam dudum nullus vigeat licet usus
disciplinarum, vitiato scilicet aevo,
70 me Romana tamen, fateor, servata vetustas
plus iuvat atque seni propria est acceptior aetas.
Nec sero exacto primi mox tempore lustri
dogmata Socratus et bellica plasmata Homeri
erroresque legens cognoscere cogor Ulixis.
75 Protinus ad libros etiam transire Maronis
vix bene comperto iubeor sermone Latino,
conloquio Graiorum adsuefactus famulorum,
quos mihi iam longus ludorum iunxerat usus:
unde labor puero, fateor, fuit hic mihi maior,
80 eloquium librorum ignotae apprehendere linguae.
Quae doctrina duplex, sicut est potioribus apta
ingeniis geminoque ornat splendore peritos,
sic sterilis nimium nostri, ut modo sentio, cordis
exilem facile exhausit divisio venam.
85 Quod nunc invito quoque me haec mea pagina prodit,
inconcinna quidem, quam sponte expono legendam,
sed mihi non rebus, quantum confido, pudenda,
quarum notitiam scriptis contexere conor:
namque ita me sollers castorum cura parentum
90 a puero instituit, laedi ne quando sinistro
cuiusquam sermone mea se fama timeret.
Quae licet obtineat proprium bene parta decorem,
et potiore tamen tum me decorasset honore,
consona si nostris primo sub tempore votis
95 hac in parte etiam mansissent vota parentum,
perpetuo ut puerum servarent me tibi, Christe,
rectius hanc curam pro me pietatis habentes,
carnis ut inlecebris breviter praesentibus expers

71 atque] utque *Barth* *Id est: poetam senem non piget se ante multos annos natum esse, quod tempore quo puer erat nondum litterarum studium omnino exoleverat; male interpretes* seni] sani B, *corr.* B[2] 73 Socratus] Isocratus B (*con. Baehrens*), *corr.* B[1] Homeri] Omeri B, *corr.* B[2] 76 bene] hene M comperto] comperta B 77 adsuefactus] adsue factus M 78 iunxerat] vinxerat M 83 sterilis] steriles x *corr.* B[2] *Barth* 84 exhausit] exausit B 86 inconcinna] *scripsi* inconsulta x 88 contexere] contexero B, *corr.* B[2] 89 sollers] solers M 90 ne quando] nequando M 91 cuiusquam] cui- *in ras.* B[2] 94 votis] voti B, *corr.* B[2] 96 puerum] puerom B, *corr.* B[1]

aeternos caperem venturo in tempore fructus.
100 Sed quoniam nunc iam magis hoc me credere fas est
conduxisse mihi, quod te voluisse probasti,
omnipotens aeterne Deus, qui cuncta gubernas,
culpato renovando mihi vitalia dona,
hoc nunc maiores pro me tibi debeo grates,
105 maiorum quanto errorum cognosco reatum.
Namque et incautus quidquid culpabile gessi
inlicitumque vagus per lubrica tempora vitae,
te indulgente mihi totum scio posse remitti,
ex quo me reprobans lapsum ad tua iura refugi,
110 et si ulla umquam potui peccata cavere,
quae mihi maiorem parerent commissa reatum,
hoc quoque me indeptum divino munere novi.
Sed redeo ad seriem decursaque illius aevi
tempora, quo studiis intentus litteraturae
115 ultro libens aliquem iam me mihi ipse videbar
votivum impensi operis sentire profectum,
Argolico pariter Latioque instante magistro,
cepissemque etiam forsan fructum quoque dignum,
ni subito incumbens quartana acerba meorum
120 conatus placitos studiorum destituisset
vix impleta aevi quinta trieteride nostri.
Consternata autem pro me pietate parentum,
quippe quibus potior visa est curatio nostri
corporis invalidi quam doctae instructio linguae,
125 primitus hoc medicis suadentibus, ut mihi iugis

99 fructus] fructui B, *corr.* B[2] 100 quoniam] *Barth* quõ B quomodo M 103 culpato renovando] culpatore novando M a culpis renovando *Barth* *Ego* renovando *cum* voluisse probasti *coniungo: Deus scilicet, cum Paulino peccata remitteret, probavit se illis non admodum offendi* 104 debeo grates] B[2] *in ras.* 105 maiorum] maiorem *Brandes* cognosco] cognosce B, *corr.* B[1] 106 incautus] B[2] *Barth* incautos x quidquid] quicquid B[2] M gessi] gesti M 107 vagus] vagae *Barth* 109 ex quo me reprobans] *cf. v. 473* ad tua] B *Barth* activa M 110 *in mg. huius v.* B[3] *scripsit*: in te um ulla] ullam B 112 divino] dinino M 113 decursaque] decursaquae B 114 litteraturae] literaturae M 115 videbar] videbat M 116 *in mg. huius v.* B[3] *scripsit*: sis 117 Latioque] *ed. Barthii* latio quae x magistro] magro M 118 cepissemque] -ss- B[2] *in ras.* forsan] forsam B, *corr.* B[1] 120 placitos] placidos M 122 Consternata] Conscernata M

laetitia atque animo grata omnia prospicerentur;
quae pater in tantum studuit per se ipse parare,
deposito ut nuper venandi attentius usu,
(causa equidem sola studiorum quippe meorum,
130 neve his officeret, sibi me ad sua ludicra iungens,
neu sine me placitis umquam solus frueretur)
me propter rursus cura maiore resumens
eiusdem ludi cuncta instrumenta novaret,
ex quibus optatam possem captare salutem.
135 Quae protracta diu longi per tempora morbi
invexere mihi iugem iam deinde legendi
desidiam, officeret durans quae postea sano
succedente novo mundi fallacis amore
et tenero nimium affectu cedente parentum,
140 sufficeret quibus ex nostra gaudere salute.
Qua ratione auctus noster quoque crevit et error
firmatus facile ad iuvenalia vota sequenda,
ut mihi pulcher equus falerisque ornatior esset,
strator procerus, velox canis et speciosus
145 accipiter, Romana et nuper ab urbe petita
aurata instrueret nostrum sphera concita ludum,
cultior utque mihi vestis foret et nova saepe
quaeque Arabi muris leni fragraret odore.
Nec minus et vegetus veloci currere vectus
150 semper equo gaudens quotiens evasero casus
abruptos recolens, Christi me munere fas est
credere servatum, quod tum nescisse dolendum est,
scilicet inlecebris urgentibus undique mundi.
Quas inter fluitans interque et vota parentum,
155 iugiter in nostram tendentia posteritatem,
iam prope sero calens aevi pro tempore nostri

126 prospicerentur] prosperentur B, *corr.* B[1] 130 neve] ne ve M his] B[3] hi x officeret] B[3] *Barth* sufficeret x 133 ludi] ludici B, *postea* -ci *erasum* 134 optatam] optatum M possem] posse B, corr. B[2] 137 durans quae] duransque M 139 et] e M cedente] *ed. Barthii* caedente x 142 firmatus] B[3] *Barth* firmatur x 144 strator] stratur B, *corr.* B[2] 145 nuper] nuber B 148 fragraret] B *ed. Barthii* flagraret B[2]M 149 vegetus] *cum* evasero *coniungendum* 149-151 nec minus ut v. v. c. suetus / s. e. g. q. evadere c. / a. recolam *Barth* 154 fluitans] B *Barth* fluctans M

in nova prorupi iuvenalis gaudia luxus,
quae facile ante puer rebar me posse cavere.
Attamen in quantum lasciva licentia cauto
160 stricta coherceri potuit moderamine freni,
congererem graviora meis ne crimina culpis,
hac mea castigans lege incentiva repressi,
invitam ne quando ullam iurisve alieni
adpeterem carumque memor servare pudorem
165 cedere et ingenuis oblatis sponte caverem,
contentus domus inlecebris famulantis abuti,
quippe reus culpae potius quam criminis esse
praeponens famaeque timens incurrere damna.
Sed neque hoc etiam mea inter gesta silebo,
170 unum me nosse ex me illo in tempore natum,
visum autem neque illum tum, quia est cito functus,
nec quemquam fuerit spurius post qui meus umquam,
cum mihi lascivae illecebris sociata iuventae
libertas gravius quisset dominando nocere,
175 ni tibi, Christe, mei iam tunc quoque cura fuisset.
Talis vita mihi a ter senis circiter annis
usque duo durans impleta decennia mansit,
donec me invitum, fateor, pia cura parentum
cogeret invectum blanda suetudine ritum
180 deserere atque novum compelleret esse maritum
coniugis, antiquo potius cuius domus esset
nomine magnifica, quam quae possessa placere
ad praesens posset nimiis obnoxia curis,
dudum desidia domini neglecta senili,
185 parva cui neptis functo genitore superstes
successit, taedisque meis quae postea cessit.
Sed semel inpositum statuens tolerare laborem
suffragante animi studiis fervore iuventae,

157 prorupi] prorupit B, -t *postea eras.* 160 stricta] stircta B, *corr.* B[2] coherceri] coerceri M 162 hac] B *Corpet* haec M 164 carumque] charumque M *semper* 165 ingenuis] B[2] M ingeniis B *in marg. huius v.* B[2] *scripsit*: misceri 166 famulantis abuti] *scripsi* famulantibus uti x 169 mea] ea B, *corr.* B[1] 170 nosse] novisse M 172 meus] mes M 173 iuventae] inventae M 174 quisset] *Barth* quissent x 176 a ter] ater B, *corr.* B[2] 182 quam quae] quamq; B „quae“, *scil.* domus (*v.* 181) placere] B *Daum* placeret M 183 nimiis] munus M multis *vel* magnis *Haase* 184 neglecta] B[2] neclecta

vix paucis domus indeptae exercere diebus
190 gaudia contentus, malesuada otia curis
mutare insolitis cito meque meosque coegi,
quos potui, exemplo proprii invitando laboris,
quosdam autem invitos domini astringendo rigore.
Atque ita suscepti status actibus impiger instans
195 protinus et culturam agris adhibere refectis
et fessis celerem properavi inpendere curam
vinetis conperta mihi ratione novandis
et, quod praecipue plerisque videtur amarum,
ultro libens primus fiscalia debita certo
200 tempore persolvens propere mihi fida paravi
otia, privatae post impendenda quieti.
Quae et mihi cara nimis semper fuit ingenioque
congrua prima meo mediocria desideranti,
proxima deliciis et ab ambitione remota,
205 ut mihi compta domus spatiosis aedibus esset
et diversa anni per tempora iugiter apta,
mensa opulenta nitens, plures iuvenesque ministri
inque usus varios grata et numerosa supellex
argentumque magis pretio quam pondere praestans
210 et diversae artis cito iussa explere periti
artifices stabula et iumentis plena refectis,
tunc et carpentis evectio tuta decoris,
nec tamen his ipsis attentior amplificandis
quam conservandis studiosior et neque census
215 augendi cupidus nimis aut ambitor honorum,
sed potius, fateor, sectator deliciarum,
si qua tamen minimo pretio expensaque parari
et salvo famae possent constare decore,
ne nota luxuriae studium macularet honestum.
220 Quae mihi cuncta tamen grata acceptaque fruenti
cara magis pietas superabat magna parentum,

B nec lecta M 190 malesuada] malasuada x, *corr.* B[1] 193 quosdam] B[3] M quasdam B invitos] B *Leipziger* invictos M 194 ita] B[2] *in ras.* 196 celerem] *id est ut celerius agriculturae redderentur* 197 vinetis] B[3] *Barth* vinctis x 202 Quae] Qua B 203 prima] *exspectabam* secta *vel sim., sed* prima *pro adver. accipiendum, cf. Th. l. L. s. v. prior, col. 1348, l. 18 sqq.* 210 diversae] B *Barth* diversa M 214 census] causas M 219 luxuriae] luxuries M luxuriei *Barth* luxurie *Leipziger* 220 acceptaque] accepta B, *corr.* B[2]

obstringens sibi me nexu dominantis amoris,
maiore ut parte anni ipsis praesentia nostra
serviret, paribus perdurans consona votis
225 communemque parans per mutua gaudia fructum.
Cuius vitae utinam nobis prolixior usus
concessus largo mansisset munere Christi,
persistente simul priscae quoque tempore pacis !
Multimodis quisset nostrae prodesse iuventae
230 consulti patris adsidua conlatio verbi
exemplisque bonis studiorum instructio crescens.
Sed transacta aevi post trina decennia nostri
successit duplicis non felix cura laboris,
publica quippe simul clade in commune dolenda,
235 hostibus infusis Romani in viscera regni,
privata tum sorte pater de funere functust:
ultima namque eius finitae tempora vitae
temporibus ruptae pacis prope iuncta fuere.
At mihi damna domus populantem inlata per hostem,
240 per se magna licet, multo leviora fuere
defuncti patris inmodico conlata dolori,
per quem cara mihi et patria et domus ipsa fiebat;
tamque etenim fido tradentes mutua nobis
officia affectu conserto viximus aevo,
245 vinceret aequaevos nostra ut concordia amicos.
Hoc igitur mihi subtracto inter prima iuventae
tempora tam caro socio et monitore fideli,
ilico me indocilis fratris discordia acerba
excepit, validum genitoris testamentum
250 solvere conantis specialia commoda matris
impugnandi animo, cuius mihi cura tuendae
hoc quoque maior erat, quo iustior, et pietatis
non minor affectus studium firmabat honestum.
Insuper adversis me pluribus exagitandum
255 laeva facultatum prorumpens fama mearum

227 largo] larga B, *corr.* B[2] 228 persistente] per sistente B 236 tum sorte pater de funere functust] *scripsi* (tum *iam Barth*) cum sorte patris de funere functi x 238 ruptae] B[2] *ed. Barthii* rupte B rupta M 239 hostem] hoste B, *corr.* B[2] 242 fiebat] vigebat *Barth* 245 aequaevos] B *ed. Barthii* aeque vos M 248 ilico] illico M *semper* 255 laeva] lena B laeta *conieci*

exposuit blandas inter vanae ambitionis
inlecebras gravibus coniuncta et damna periclis.
Quae meminisse licet pigeat transactaque dudum
oblivione sua malim sopita silere,
260 invitant adversa tamen per nostra tuorum
cognita donorum solacia, Christe, bonorum
emensis indepta malis tua munera fando
prodere et in lucem proferre recondita corde.
Namque et quanta mihi per te conlata potentum
265 gratia praestiterit, facile experiendo probavi,
saepe prius claro procerum conlatus honori
ignorans <..
267 a ....> proprio quam praeditus ipse potirer,
quantum et e contra vi impugnante maligna
ipsa patronorum mihi ambitiosa meorum
270 obfuerint studia et nostri evidenter honoris
<...>.
Ac mihi ante omnes specialiter, altera cuius
pars orientis erat patria, in qua scilicet ortus
possessorque etiam non ultimus esse videbar,
iniecere manum mala sed mihi debita dudum,
275 quod me et invitum protracto errore tenerent
agminis ipsa mei primum molitio pigra,
dissona et interdum carorum vota meorum,
saepius et propriis certans mens obvia votis,
ambigui eventus quotiens formido recurrens
280 tardabat coeptos sorte obsistente paratus,
allicerent et contra animum suetudo quietis,
otia nota, domus specialia commoda plura,
omnibus heu nimium blandis magnisque refertae
deliciis cunctisque bonis in tempore duro,
285 hospite tunc etiam Gothico quae sola careret.

256 blandas inter] *in* B *verba dist.* B[2] 259 malim] *ed. Pis.* mallim x 266 conlatus honori] *cfr. Th. l. L. s. v. confero 178, ll. 53-55* 267 <...> *lac. indicavi* 270 et] *ed. Pis.* ex x honoris] honores *Corpet, Brandes edd. post hunc versum lac. indicavi in qua poeta consilium proficiscendi in Graeciam indicabat (cf. et v. 409)* 271 Ac] Ae B, *corr.* B[2] At *Barth* 272 ortus] ostrus M 275 quod] *Brandes* quae x et] etiam *Barth* 278 mens] B[2] *in ras.* 280 coeptos] coeptus B, *corr.* B[1] *Haase* ceptas M sorte] *i. e. varietas sortis* 283 refertae] *Brandes* referta x 284 deliciis] delictis B, *corr.* B[2] 285 hospite tunc] hospitet unc B, *corr.* B[2]

Quod post eventu cessit non sero sinistro,
nullo ut quippe domum speciali iure tuente
cederet in praedam populo permissa abeunti;
nam quosdam scimus summa humanitate Gothorum
290 hospitibus studuisse suis prodesse tuendis.
Sed mihi ad sortem praefatae condicionis
addita maioris nova est quoque causa laboris,
ut me conquirens solacia vana tyrannus
Attalus absentem casso oneraret honoris
295 nomine, privatae comitivam largitionis
dans mihi, quam sciret nullo subsistere censu;
<..>
iamque suo ipse etiam desisset fidere regno,
solis quippe Gothis fretus male iam sibi notis,
quos ad praesidium vitae praesentis habere,
300 non etiam imperii poterat, per se nihil ipse
aut opibus propriis aut ullo milite nixus.
Unde ego non partes infirmi omnino tyranni,
sed Gothicam fateor pacem me esse secutum,
quae tunc ipsorum consensu optata Gothorum
305 paulo post aliis cessit mercede redempta
nec penitenda manet, cum iam in re publica nostra
cernamus plures Gothico florere favore,
tristia quaeque tamen perpessis antea multis,
pars ego magna fui quorum, privatus et ipse
310 cunctis quippe bonis propriis patriaeque superstes.
Namque profecturi regis praecepto Atiulfi
nostra ex urbe Gothi, fuerant qui in pace recepti,
non aliter nobis quam belli iure subactis
aspera quaeque omni urbe inrogavere cremata:
315 in qua me inventum comitem tum principis eius,

287 tuente] tuento M 291 praefatae] praefate B, *corr.* B^2 296 *post hunc versum lac. indicavi* 297 iamque] cumque *Haase* desisset] B *Barth* dedisset M 298 Gothis] Ghotis B 299-300 haberet / non etiam imperii, poterat per *dub. Brandes* 304 optata] oblata *conieci* 305 aliis] alus B, *corr.* B^2 alii c. m. redemptae *Barth* 306 penitenda] *Brandes* paenitenda x 308 tristia] tristitia B, *corr.* B^2 309 privatus et ipse] B^2 *in ras.* ipses *in* B *olim exstitisse falso rettulit Brandes* 311 *in mg.* M: Atiulfus rex Gothorum 312 Gothi] B^2 *in lac.* 313 subactis] sub actis M 314 omni] omnis B 315 qua] B *Haase* quam M

imperio cuius sociatos nos sibi norant,
nudavere bonis simul omnibus et genetricem
iuxta meam mecum, communi sorte subactos,
uno hoc se nobis credentes parcere captis,
320 quod nos inmunes poena paterentur abire,
cunctarumque tamen comitum simul et famularum,
eventum fuerant nostrum quaecumque secutae,
inlaeso penitus nulla evadente pudore,
me graviore tamen relevato suspicione
325 munere divino, iuges cui debeo grates,
filia ut ante mea per me sociata marito
excedens patria communi clade careret.
Nec postrema tamen tolerati meta laboris
ista fuit nostri, quam diximus; ilico namque
330 exactos laribus patriis tectisque crematis
obsidio hostilis vicina excepit in urbe,
Vasatis, patria maiorum et ipsa meorum,
et gravior multo circumfusa hostilitate
factio servilis paucorum instincta furore
335 insano iuvenum <...> licet ingenuorum
armata in caedem specialem nobilitatis.
Quam tu, iuste Deus, insonti a sanguine avertens
ilico paucorum sedasti morte reorum
instantemque mihi specialem percussorem
340 me ignorante alio iussisti ultore perire,
suetus quippe novis tibi me obstringere donis,
pro quis me scirem grates debere perennes.
Sed mihi tam subiti concusso sorte pericli,
quo me intra urbem percelli posse viderem,
345 subrepsit, fateor, nimium trepido novus error
ut me praesidio regis dudum mihi cari,
cuius nos populus longa obsidione premebat,

316 nos] *Barth* non x 318 subactos] subactam *dubit. Brandes* 323 penitus] paenitus B, *corr.* B^2 nulla evadente] *temptavi* nullo adtemptante x 330 exactos] *Brandes* exacto x laribus] laboribus B, -bo- *postea eras.* 332 et] erat *Barth* 333 multo] multa *conieci* instincta furore] *scripsi* mixta furori x nixa furori *Barth* 335 <nequam> *add.* Brandes <natu> *Haase* 336 caedem] caedem <est> *conieci* 337 a sanguine avertens] B^2 *in lac.* 338 reorum] B^2 *in lac.* 342 quis] queis M 344 me intra] mihintra B, *corr.* B^2 me <etiam> intra *conieci* 346 ut] *Barth* consilii ut x

urbe ab obsessa sperarem abscedere posse
agmine carorum magno comitante meorum,
350 hac tamen hos nostros spe sollicitante paratus
quod scirem imperio gentis cogente Gothorum
invitum regem populis incumbere nostris.
Explorandi igitur studio digressus ab urbe
ad regem intrepidus nullo obsistente tetendi,
355 laetior ante tamen, primo quam affarer amicum
alloquio gratumque magis fore quem mihi rebar.
Perscrutato autem, ut potui, interius viri vota
praesidium se posse mihi praestare negavit
extra urbem posito, nec tutum iam sibi prodens
360 ut visum remeare aliter pateretur ad urbem,
ipse nisi mecum mox susciperetur in urbe,
gnarus quippe Gothos rursum mihi dira minari
seque ab ipsorum cupiens absolvere iure.
Obstipui, fateor, pavefactus condicione
365 proposita et nimio indicti terrore pericli,
sed miserante Deo, adflictis qui semper ubique
imploratus adest, paulo post mente resumpta,
ipse licet trepidus, sed adhuc nutantis amici
consilium audacter studui pro me ipse fovere,
370 ardua dissuadens quae scirem omnino neganda,
praestanda quae autem quam mox temptanda perurgens.
Quae non sero probans vir prudens ipse secutus,
ilico consultis per se primatibus urbis,
rem coeptam adcelerans una sub nocte peregit
375 auxiliante Deo, cuius iam munus habebat,
quo nobis populoque suo succurrere posset.
Concurrit pariter cunctis ab sedibus omnis
turba Halanarum armatis sociata maritis.
Prima uxor regis Romanis traditur obses,

355 primo] B *Corpet* prima B[1] M affarer] B *Corpet* afforet M 357 vota] *Brandes* voto x mihi noto (*pro* viri voto) *Barth* 360 visum] rursum *Barth* visam *Daum* 362 gnarus] *Daum* gnaros x rursum] *cf. v. 311 sqq.* 363 *in mg. huius v.* quoque *scripsit* B[3] 366 adflictis] aflictis M 368 sed] et B 371 praestanda quae autem] *Brandes* praestandaque autem B praestanda et prius M perurgens] per urgens M 372 ipse] atque *conieci* 374 rem coeptam] *quam ?* 377 cunctis] *om.* B, *add.* B[2] 378 Halanarum] Alanarum M *item* 383

380 adiuncto pariter regis caro quoque nato;
reddor et ipse meis pactae inter foedera pacis
communi tamquam Gothico salvatus ab hoste,
vallanturque urbis pomeria milite Halano
acceptaque dataque fide certare parato
385 pro nobis, nuper quos ipse obsederat hostis.
Mira urbis facies, cuius magna undique muros
turba indiscreti sexus circumdat inermis
subiecta exterius; muris haerentia nostris
agmina barbarica plaustris vallantur et armis.
390 Qua se truncatam parte agminis haut mediocris
circumiecta videns populantum turba Gothorum,
ilico diffidens tuto se posse morari
hoste intestino subito in sua viscera verso,
nil temptare ausa ulterius properanter abire
395 sponte sua legit. Cuius non sero secuti
exemplum et nostri quos diximus auxiliares
discessere, fidem pacis servare parati
Romanis quoquo ipsos sors oblata tulisset.
Atque ita res <nimium> temere a me coepta benigno
400 auxilio Domini eventu est expleta secundo,
erroremque meum Deus in nova gaudia vertit
multorum pariter mecum obsidione levata,
adcrescunt quae cuncta mihi simul ad referendas,
Christe, tibi grates, quas inpos solvere verbis
405 parte rependo aliqua, semper debere professus.
Sint tamen ista satis super his me esse profatum,
inter barbaricas longo quae tempore gentes
expositus gessi. Quorum mihi plurima saepe
adversa experto rursum suasere moranti

384 acceptaque] accepta B, *corr.* B[2] certare parato] B *Barth* certa reparato M 385 obsederat] obsiderat B 386-389 *interpunxi cum Brandesio* 388 haerentia] adhaerentia B, *corr.* B[2] 390 haut] aut B, *corr.* B[1] mediocris] mediocri *Brandes* 393 subito] sumbito B, *corr.* B[2], *quae manus in mg. scripsit*: vel abrupte 394 ausa] causa B, *postea* c- *eras.* 395 legit] B[2] *in mg. adscripsit*: statuit 399 <nimium> *addidi* <anceps> *Ottaviano lac. iam animum advertit* B[3] res a me temere suscepta benigno *Barth* res ingens temere a me coepta benigno *Brandes* 403-404 adcrescunt ... ad referendas ... grates] *mira constructio* 404 inpos solvere] inposso luere B, *postea verba bene div. sunt* 406 Sint] Sit *Haase, sed cf. quae adnot. Moussy*

410 linquendas patriae sedes quantocius esse
(quod fecisse prius fuerat magis utile nobis)
illa ut contento peteremus litora cursu,
pars ubi magna mihi etiamnunc salva manebat
materni census, conplures sparsa per urbes
415 Argivas atque Epiri Veterisque Novaeque,
per quas non minima numerosis farta colonis
praedia diffusa nec multum dissociata
quamvis profusis dominis nimiumque remissis
praebere expensas potuissent exuberantes.
420 Sed nec sero mea est proventus vota secutus,
ut vel migrare exoptata hinc ad loca possem,
vel mihi pars aliqua ex rebus superesset avitis:
inter barbaricas hostili iure rapinas
Romanumque nefas contra omnia iura licenter
425 in mea grassatum diverso tempore damna.
A quo se exuere admisso nec nomina possunt
cara mihi, maior nostri est quae causa doloris,
cum mihi damna rei damnis cumulentur amoris,
quem scio me fidum primis debere propinquis,
430 quamlibet offensum, nec fas non reddere duco.
Sed bene si sapio, gratulanda haec nunc mihi sors est,
quae tibi conplacuit, multo potiora parante
iam te, Christe, mihi, quam cum securior ipse
placatum rebar nostris adsistere votis,
435 cum mihi laeta domus magnis floreret abundans
deliciis, nec pompa minor polleret honoris
instructa obsequiis et turbis fulta clientum.
Quae peritura cito illo me in tempore amasse
nunc piget et tandem sensu meliore senescens
440 utiliter subtracta mihi cognosco fuisse,
amissis opibus terrenis atque caducis

413 etiamnunc] etiam nunc M 415 Novaeque] *Brandes* Novique x 417 nec] et non M 420 proventus vota] proventus vo- B[2] *in ras.* 421 hinc] *om.* B, *add.* B[2] 422 *post* avitis *interpunxi* 424 Romanumque] *scil. a Romanis commissum* nefas] ne fas M, *fere semper* 425 tempore] tempora B *corr.* B[1] 428 *hunc v. om.* B, *add.* B[2] amoris] honoris B[2], *postea correxit* 430-431 quamlibet offensum. Nec f. n. r. duco, / sed bene s. s. M 431 gratulanda] gratuanda M gratanda *ed. Barthii* 432 parante] *Haase* paranti x 437 instructa] in structa B 441 amissis] amisis B

perpetuo potius mansura ut quaerere nossem;
sero quidem, sed nil umquam, Deus, est tibi serum,
qui sine fine manens miserandi ponere finem
445 nescis et ignaris solus succurrere nosti
praeveniendo prior multorum vota precantum
et supra quam petimus bona nobis prospiciendo,
ambiguisque etiam, quid pro se quisque precetur
<..>
plura petita negas, magis apta his dare paratus,
450 qui sapiunt tua dona suis praeponere votis.
Namque et me moresque meos quanto prior ipse
me melius nosses in me prohibendo probasti,
quem maiora meis audentem viribus ante
prospiciens melius per te mihi consuluisti
455 conatus inhibendo meos nimis alta petentes,
auderem ut monachi perfecto vivere ritu,
cum mihi plena domus caris affectibus esset
qui sibi servari consuetam indicere curam
posse viderentur, filii, mater, socrus, uxor
460 cum grege non minimo famularum quippe suarum,
quem totum pariter peregrinae exponere turbae
nec ratio aut pietas mens aut religiosa sinebat.
Sed tua, magne Deus, divina et provida virtus
consilio sanctorum cuncta operando peregit
465 suadentum mihi tum morem servare vetustum,
quem semel invectum maiorum traditione
nunc etiam servans ecclesia nostra teneret.
Confessusque igitur penitenda quae mihi noram

442 quaerere] quaere B 443 nil umquam] nilum quam B, *dist.* B^2 445 nosti] nostri B, *corr.* B^3 448 precetur] praecetur B, *corr.* B^2 449 dare] B *Daum* dona M 451 et me moresque meos] B^2 et memores quem eos B etiam memor es quam illos M ipse] ipso *Barth* 452 prohibendo] *scripsi* prodendo x 453 maiora meis] *ed. Barthii (sed litt. div. parum clara) ed Pis.* maioram eis x 458 qui] *Haase* quae x 460 grege] mihi grege B, *corr.* B^2 famularum quippe] famularumque B, *corr.* B^2 461 turbae] *scripsi* terrae x *ceterum* peregrine...terre *habebat* B, *corr.* B^2 462 religiosa sinebat] relligiosa sinebas B religiosa sinebas B^2 463 magne Deus] *scripsi* magna manus B magna magnus M 464 operando] operanda M 467 ecclesia] eclesia B 468 penitenda quae mihi noram] *Brandes* aquae mihi noram B, B^1 *supra* aquae *addidit* paenitent *om.* M

proposita studui constrictus vivere lege,
470 non digno fortasse pians commissa labore,
sed rectam servare fidem non inscius ipse
errorum discendo vias per dogmata prava,
quae reprobans sociata aliis nunc respuo culpis.
Post autem, exacta iam ter trieteride quinta,
475 rite recurrente statuto tempore Pascha,
ad tua, Christe Deus, altaria sacra reversus
te miserante tua gaudens sacramenta recepi
ante hos ter decies super et his quattuor annos,
salvo tunc etiam propriae domus ordine, nuper
480 qui fuerat, linqui et quem iam non posse probarem
nec retinere tamen peregrino iugiter esset
possibile adstricto iam censu; quominus autem
rem propriam expeterem, cuius meritumque situmque
anteriore loco iam me exposuisse recordor,
485 obstabat flecti ad communia commoda coniux
indocilis nimioque metu navigare recusans,
quam nec invitam trahere usquam fas mihi rebar
parque nefas esset subtractis linquere natis.
Atque ita frustratus spe iam meliore quietis
490 in rebus propriis post plura adversa fruendae
perpetuum exilium diversa sorte dierum
exigo, iam dudum cunctis affectibus expers,
primo socru ac matre, dehinc et coniuge functa;
quae mihi cum fuerit rectis contraria votis,
495 officiente metu, fuit et defuncta dolori,
tum subtracta, meae potuisset cum magis esse
apta senectuti iunctae ad solamina vitae

470 labore] lubore, *ut videtur,* B, *corr.* B[3] 474 ter trieteride] *Tillemont* terre teride B tetreteride B[2] trie-teride M trieteride *ed. Barthii* 478 his] bis *Barth* hos *Leipziger* 480 quem] *scripsi, cf. e. g. Tac. ann. 16.26.5 et nostri libelli vv. 564-565* quam x probarem] *Leipziger* probare x probavi *Barth* 482 adstricto] adstrincto M 486 nimioque metu navigare] B[2] *Barth* nimio quem et una vigare B nimio quae metu navigare M recusans] B *Barth* recursans M 487 nec] me B, *corr.* B[2] invitam] B *Barth* iam vitam M 488 *versui conscribendo spatium liquit* B, *explevit* B[2] linquere natis] B[3] *Barth* inque penatis B[2] M 491 diversa] *cf. vv. 538 sqq., 564 sqq. et 567* 493 primo] *Barth* prima x socru] socrum B[2] 494 cum] eum B, *corr.* B[1] 495 dolori] doloris B

quae mihi iam derant natis abeuntibus a me,
non equidem paribus studiis nec tempore eodem,
500 succensis pariter sed libertatis amore
quam sibi maiorem contingere posse putabant
Burdigalae, Gothico quamquam consorte colono.
Quod licet invito me illos voluisse dolerem,
sic compensandum tamen hoc ipsum mihi rebar
505 commoda ut absentis praesentum cura iuvaret,
fructus quippe rei nostrae, quicumque fuissent,
sponte sua mecum paulatim participantum.
Sed cito praereptus iuvenis iam presbyter unus
morte repentina luctum mihi liquit acerbum;
510 summa autem rerum, tenuit quascumque, mearum
tota erepta mihi noctis fuit una rapina.
Insuper ipse etiam, velut ad solacia nostra
qui superest, actu simul eventuque sinistro
inter amicitias versatus regis et iras
515 destituit prope cuncta pari mea commoda sorte.
Atque ita subtracta spe omni solaciorum,
quae mihi per nostros rebar contingere posse,
cunctaque sero probans a te magis esse petenda
quae cupimus, Deus alme, subest cui summa potestas,
520 Massiliae demum pauper consistere legi,
urbe quidem in qua plures sancti essent mihi cari,
parvi autem census substantia familiaris
nec spes magna novi subituri ex fructibus esset,
non ager instructus propriis cultoribus ullus,
525 non vineta, quibus solis urbs utitur ipsa
omne ad praesidium vitae cultumque parandum,
sed tantum domus urbana vicinus et hortus
atque ad perfugium secreti parvus agellus,

498 derant] deerant M 501 maiorem] maioreme B 504 sic compensandum] sic co imp. M 507 paulatim] *i. e. paulum, modice, cf. Th. l. L. s. v. paulatim, col. 824, l. 26 sqq.* participantum] *scripsi* participando x 508 iuvenis] invenis M presbyter] presbiter B 509 liquit] liquid B 511 erepta] *Haase* arrepta x noctis] *scripsi* (*cf. v. 374*) multis x 513 superest] super est M 514 inter] inter est B, *corr.* B[2] 522 parvi] *scripsi* (*cf. Th. l. L. s. v. census col. 811, l. 19 sqq.*) parva x 523 novi subituri] *scripsi* novis subitura x esset] *Corpet* esses x 525 urbs] urbis B, *corr.* B[2] 526 ad] at *Barth* cultumque] *scripsi* aliunde x 528 parvus] perparvus B (per- *postea eras.*) per parvus M *corr. Barth*

non sine vite quidem vel pomis, sed sine terra
530 digna coli; verum exigui iactura laboris
suasit et in vacuum culturae impendere curam
vix plena exesi per iugera quattuor agri
et fundare domum summa in crepidine saxi,
ne quid de spatio terrae minuisse viderer.
535 Porro autem expensas vitae quas posceret usus
conductis statui ex agris sperare paratas,
donec plena magis servis mansit domus et dum
maiores melior vires mihi praebuit aetas.
At postquam in peius pariter mutavit utraque
540 condicio instabilis semper generaliter aevi,
paulatim, fateor, curis evictus et annis,
exul, inops, caelebs, <...> facile in nova versus
consilia et varia multum ratione vacillans,
Burdigalam revocare gradum conducere duxi;
545 nec tamen effectus nostra est incepta secutus,
utilitas cum vota sibi coniuncta iuvaret.
Quod mihi firmandae fidei, quantum puto, causa
a te provisum fas est me credere, Christe,
ut, praestare mihi quantum tua gratia posset,
550 prolixo paulatim usu experiendo probarem,
plurima subtracto cum per dispendia censu
perdurare mihi speciem domus et renovatas
saepius expensas te prospiciente viderem.
Pro qua sorte quidem vitae scio me tibi grates
555 inmodicas debere, Deus, pro me tamen ipse
nescio si salvo possim gaudere pudore,
sive quod ipse adhuc propriae specie domus utens,
seu quod divitibus contentus cedere notis

529 vite] vitae B 530 exigui iactura laboris] *scil. cura ne quamvis exigua operae pars desereretur* 531 in vacuum] *bene intellexit Moussy* 534 ne quid] nequid M 536 conductis] *ed. Barthii* conductus x statui] *scripsi* studui x paratas] parandas *dub. Brandes, ego et de* praestare paratas *cogitavi servato* studui 537 domus] *om.* B, *add.* B[2] 541 evictus] *Brandes* est victus x 542 caelebs] caeleps B celebs M caelebsque senex *Barth* <...> semper *add. Brandes* celere *ego* (*de arsi cf.* propere *v. 200*) 546 cum] *i. e. quamquam* 549 posset] posses B 551 per dispendia] perdis pendia B 552 renovatas] relevatas *conieceram, sed cf. carm. adv. Marc. 1.181* 558 notis] *Brandes* (*accepi coll. v. 575*) natis x

omnia, quae possunt etiamnunc nostra videri,
560 expensis patior me sustentari alienis,
ni mihi nostra fides, quae nil proprium docet esse,
subveniat, tam tuto aliena ut nostra putemus
quam nos nostra aliis debemus participanda.
Nec tamen hoc ipso vitae me in ordine passus
565 ambiguum nutare diu, velociter ultro
solari es dignate, Deus, nostramque senectam
invalidam variis diverso tempore morbis
iugiter adsuetus blandis palpare medellis
nunc quoque sic ipsi iuvenescere posse dedisti
570 ut, cum iam penitus fructus de rebus avitis
sperare ulterius nullos me posse probasses,
cunctaque ipsa etiam, quae iam tenuatus habere
Massiliae potui, amissa iam proprietate
conscripta adstrictus sub condicione tenerem,
575 emptorem mihi ignotum de gente Gothorum
excires, nostri quondam qui iuris agellum
mercari cupiens pretium transmitteret ultro,
haut equidem iustum, verum tamen accipienti
votivum, fateor, possem quo scilicet una
580 et veteres lapsi census fulcire ruinas
et vitare nova cari mihi damna pudoris.
Quo me donatum praestanti munere gaudens
ecce novas, Deus omnipotens, tibi debeo grates,
exuperent quae paene alias cumulentque priores,
585 quas contestatas tota haec mea pagina praesens
continet; et quamquam spatiis prolixior amplis
evagata diu claudi se iam prope poscat,
nostra tamen iugis devotio ponere finem
nescit ad explenda tibi debita munia, Christe,
590 hoc unum ipse bonum statuens, hoc esse tenendum
conscius, hoc toto cupiens adquirere corde,
omnibus usque locis et tempore iugiter omni

560 sustentari] substentari M 563 nos] *om.* B, *add.* B[2] 566 solari es] *Brandes* solarier x 569 iuvenescere] *Moussy* iuve nascere B iuvenascere M 570 penitus] paenitus B, *corr.* B[2] 575 mihi ignotum] *Corpet* ignotum mihi x 579 possem] B *ed. Barthii* possim M 581 vitare nova] vita renova M 583 novas] B *ed. Barthii* novus M 584 paene] *ed. Barthi* pene B poenae M 591 adquirere] ad quierere M

te praefando loqui te meminisse silendo.
Quocirca et totum tibi me, Deus optime, debens
595 cunctaque quae mea sunt, opus hoc abs te, Deus, orsus
nunc quoque concludens tibi desino teque precatus
saepius attente nunc multo inpensius oro
ut, quia vita in hac, quam nunc ego dego, senili
ipsa morte magis †plura† agnosco timenda
600 nec mihi quid potius cupiam discernere promptum est,
quamcumque in partem tua iam sententia vergit,
da, precor, intrepidam contra omnia tristia mentem
constantemque tuae virtutis munere praesta
ut, qui iam dudum placitis tibi vivo dicatus
605 legibus et sponsam conor captare salutem,
nec vicina magis pro condicione senectae
tempora plus metuam mortis, cui subiacet omnis
aetas, ambiguae nec me discrimine vitae
suspectum exagitent varii formidine casus,
610 vitari quos posse, Deus, te praesule fido,
sed, quaecumque manet nostrum sors ultima finem,
mitiget hanc spes, Christe, tui conspectus et omnem
discutiat dubium fiducia certa pavorem,
me, vel in hoc proprio mortali corpore dum sum,
615 esse tuum, cuius sunt omnia, vel resolutum
corporis, in quacumque tui me parte futurum.

593 loqui te] l. te <et> *Brandes* l. te <te> *Barth* l. <et> te *Corpet* 597 attente] intente *conieci (cf. Th.l.L. s.v. intente, col. 2119,26 sqq.)* 598 quia] B *Barth* qui a M quam] *Leipziger* qua x 599 †plura†] plura haut *Brandes* peccata *ego* 600 promptum] promtum B 601 vergit] vergi B 602 precor] praecor B tristia] tristitia B, -it- *postea eras.* 603 praesta] presta B 604 qui] quae M quia *Barth* 608 ambigue...vite] B, *corr.* B^2 nec me] me nec M discrimine] *Brandes* discrimina x 609 varii] varia *conieci* 612 omnem] B *ed. Barthii* omne M 613 pavorem] pao rem M 615 esse tuum] esset uum B, *dist.* B^3 616 *post* corporis *interpunxi*; *de* resolutum *cum gen. cf. LHS p. 64, de* tui *pro* tua *cf. J. Svennung, Unters. zu Pall. p. 313 sqq.*

PAVLINI ORATIO

Omnipotens genitor, rerum cui summa potestas,
exaudi si iusta precor: ne sit mihi tristis
ulla dies, placidam nox rumpat nulla quietem
nec placeant aliena mihi, quin et mea prosint
5 supplicibus nullusque habeat mihi vota nocendi
aut habeat nocitura nihil. Male velle facultas
nulla sit ac bene posse adsit tranquilla potestas.
Mens contenta suo nec turpi dedita lucro
vincat corporeas casto bene conscia lecto
10 inlecebras, turpesque iocos obscenaque dicta
fuderit illa nocens et multum grata malignis
auribus effuso semper rea lingua veneno.
Non obitu adfligar cuiusquam aut funere crescam.
Invideam numquam cuiquam nec mentiar umquam.
15 Adsit laeta domus epulisque adludat inemptis
verna satur fidusque comes nitidusque minister,
morigera et coniux caraque ex coniuge nati.
Moribus haec castis tribuit Deus, hi sibi mores
perpetuam spondent ventura in saecula vitam.

Incipit oratio Sancti Paulini x 1 *bene interp. Courcelle, post* rerum *de Hartel* 2 mihi] mici V, *uti solet* 4 prosint] *in* V pro- *postea additum* 5 habeat] habet V, *corr.* V[2] 6 nihil] mici V 7 ac] hac V[1] at *Graevius, sed bene de Hartel contulit Auson. Ephem. 3. 65 Green* 8 dedita] dedicta V[1] *non bene dispic.* N 9 vincat] vinceat V[1] corporeas] corporaeas N, *ceterum in hoc cod. non bene disp. alterum* o 10 turpesque] turpis N 11 fuderit] *scripsi* (*i. e. lingua diaboli, cf. Paul. Nol. carm. 16. 52, ubi "malus ille" est diabolus*) oderit x 12 effuso] offuso *Heinsius* 13 obitu] obitum N[1] 15 adsit] da sit *Heinsius* epulisque] *Vinetus* epulis x 17 coniunx] *in* N con- *postea additum* coniuge] coniunge V[1] 18 hi sibi] *de Hartel* (*iam* V *teste Moussyo*) his ibi x

IGNOTI PECCATORIS PRECATIO

Sancte Deus, lucis lumen, concordia rerum,
aeterni verbo conditor imperii,
expers principii nec fini obnoxius, ex quo
totum quod nunc est, quod fuit et quod erit;
5 corporeis ignote oculis, vix cognite menti,
nec linguis facilis nec capiende animis,
indulgens, sanctus, iustus, patiens, miserator,
plenus, perfectus, maximus, omnipotens,
solus nec solus terque unus et in tribus unus,
10 hoc semper maior, quo fide es uberior !
viderit an veniam speret, si dicere laudes
hinc tibi quis dubitat, quod minor esse timet:
ignosci certe merito fas noverit ille
atque reus stolidae simplicitatis erit.
15 Innumeras qui res temptet numerare paretque,
virtutes possit pernumerare tuas;
et quod sentimus plus est quam lingua loquatur
et quod sentimus, cum loquimur, minus est;
omnia quae dudum variis elementa figuris
20 credimus audimus tangimus aspicimus,
uda mari, terris gravia, splendentia caelo,
aëre mobilia, tristia nocte nigra,
frondosis exserta iugis, sidentia planis,
consita vinetis, sentibus aspra satis,
25 invia desertis, concreta frigore pigro,
ignea sideribus, uvida fluminibus,
ut primum placuit, verbi virtute creasti;
quodque aliis facere est, hoc tibi velle sat est.
nil rerum natura parit non iussa, tibique,
30 principio, debent omnia principium:

Inscriptionem ego inserui (S. Paulini Episcopi Nolani Carmen I ad Deum post conversionem et baptismum suum *inscripserat Mai*) 5 corporeis] *ita* U, corporis *edd. oscitanter* 13 ille] *de Hartel* illi U 15 paretque] *Mai* patetque U 20 credimus] *susp.* cernimus *Bianco* 21 uda] *scripsi* lata U lota *Pontani* 23 exserta] *scripsi* (*cf. Th. l. L. s. v. exsero, col. 1859, l. 32*) inserta U 24 sentibus aspra] *scripsi* omnibus apta U 26 uvida] *scripsi* vivida U

APPENDIX

CONSPECTVS SIGLORVM

U Vaticanus Urbinas Lat. 533 (saec. XV)

officium praebens obscuris luna tenebris
  et iussus claro sol radiare die,
saecula saeclorum, menses, dies, annus et horae,
  quodve agimus cuncti tempore quove agimus,
35 angelicus populus, patriarchae et turba piorum,
  quam caelo ascivit religiosa fides,
qua Romanus agit, saevit qua barbarus orbis,
  infusus quicquid summovet Oceanus,
quae nexis constant membris, quae membra recusant,
40   verbis respondent, indiga vocis hiant,
quaeve metus cursu servat virtusve tuetur,
  antra tegunt, volvunt flumina, penna levat,
unum discretis referunt tibi vocibus hymnum
  et quod non possunt explicuisse volunt.
45 Ipsa etiam te bruta tremunt, tibi muta loquuntur,
  quove modo id faciant, nescia mens hominis.
Quae scimus, <constant> occultis omnia causis,
  nec rationis egens quod facis esse potest.
Me solum e cunctis male conscia pectora terrent,
50   indigno laudes ne loquar ore tuas,
ne peccata premant, gravior ne sarcina plumbo
  imis captivum detineat tenebris.
Sed mihi dum variis curarum ambagibus erro,
  occurrit trepido quod sequeremur iter:
55 si defendo, reus; fateor si crimina, salvus;
  spero tuam potius quam merear veniam.
Quicquid commisi scelerum sine teste, probasti;
  nam facienda videns, facta videre potes,
si caelum tibi, sancte, thronus, si terra tuorum
60   scamnellum merito creditur esse pedum:
crimina non dubia ei, totum qui penetrat orbem,
  qua patet accessus vel pede vel pelago.
Quicquid in occasu Zephyrus videt, Eurus in ortu,

33 saecula saeclorum] *Mai* secula seculorum U   34 cuncti] *scripsi* cuncto U   quove] *Mai* que U   43 hymnum] *Mai* ymnum U   47 <constant> *addidi* <scimus> *de Hartel* <manant> *Mai*   49 male] mele U, *ab ipsa libr. manu corr.*   55 crimina] *Mai* crimine U   57 *ita interpunxit de Hartel, post* commisi *Mai*   58 nam] -m *non dispic. in* U   60 scamnellum] scamnelum U   61 dubia ei] *de Hartel,* dubie U   totum qui] *Mai* totusque U   orbem] *Mai* orbis U   62 accessus] *Ruggiero* accessu U   63 Zephyrus] *Mai* zephirus U

Austro si qua tepent, si qua Aquilone rigent,
65 sunt oculis subiecta tuis, licet arbiter absit
et scelus admissum nox sibi fida tegat,
antris claudatur, mergatur flumine, montis
desuper inmissi ponderibus lateat,
veletur denso tectorum culmine: solus
70 testem vitabit, qui male non faciet.
Lyncei fertur felicis acumine visus
intentos paries non tenuisse oculos:
visibus humanis <hoc si> licuisse putatur,
ignotum quicquam credimus esse tibi,
75 qui mare, qui caelum terrasque et quicquid in his est
omnibus immistus extra vel intra regis ?
nec miror; proprio parent elementa parenti
et penetrata suo cuncta patent domino.
Si quisquam sine se poterit peccare, latebit:
80 nam si peccabit testis adest animus.
Ergo ego sum primis semper lascivus ab annis,
cuius amor licitis miscuit illicita,
audax, periurus, simulator, dissimulator,
ambitor, varius, invidus, impatiens,
85 crudelis, rationis egens, furiosus, avarus,
profusor proprii, post aliena petens,
et quicquid scelerum molitur, perficit, audet
pollutum corpus, mens rea, lingua loquax,
totum placato quamvis sub iudice feci:
90 non habet in tanto crimine poena locum.
Sed tibi laus, tibi, sancte Pater, laus tempore in omni,
qui potes addictam vivificare animam,
parcere subiectis, tenebris infundere lumen
et brutis sanctos de scopulis facere.
95 E medio mortis vitiorum gurgite mersus
eripior sanctis purificatus aquis
et modo qui merui tortorum vincula, flammas,
idem non idem iam quasi liber ago.
Quid loquimur "liber" ? frenant hanc crimina vocem:

67 mergatur] *Mai* megatur U 71 Lyncei] *Mai* lincei U 73 *add. Mai* 76 immistus] *de Hartel* immistis U 78 patent] *Mai* parent U 81 primis] *Mai* primus U 86 post] *scripsi* plus U plura *Mai* 89 quamvis] *Mai* quanvis U

100 servus peccati post veniam teneor;
nam vetus et studio pugnandi promptior hostis
incautum variis artibus exagitat,
auditu, visu, gustu tactuque placentes
obiciens semper callidus illecebras,
105 ut, pars si qua meis membris male firma vacillet,
ceu patulum populans intret ovile lupus
aut leo secretis rapidus prorumpat ab antris,
incustoditum si patet ire pecus.
Sed te, sancte Deus, sensus si verba loquuntur
110 et non mens aliud, lingua aliud loquitur,
sollicitus, cupidus, devotus pectore et ore
pulso; patere iube, da, peto quaero, doce,
qua fas quaque pium est mortalem noscere, quam sis
supplicibus facilis quotve quibusve modis.
115 Peccatis ignosce meis; levioribus utor
quam sint factorum pondera nominibus.
Criminibus ignosce magis; iam sentiat ipse
quae mihi molitur tela furens coluber,
atque per innumeros escis fallentibus hamos
120 captivum teneant, sic rogo, quae sua sunt.
Non aurum gemmasque velim, non ditia regum
regna nec immensas quas habet orbis opes,
non ut densatos fasces curvasque secures
pone sequar celsis conspiciendus equis,
125 non ut servandi signent mea nomina fasti
turbaque nobilium limina nostra terat,
non ut sic saltem subrepat blanda voluptas,
sed mihi contento quod satis est habeam.
Non longum vitae cursum, non gaudia quaero
130 corporeis nimium congrua deliciis,
hibernis totum <hoc> citius cum transeat umbris
floribus et rigidi quos rapuere noti:
in quis vita brevis, post mortem vita perennis,

105 firma vacillet] *Mai* fida bacillet U 107 aut] *scripsi* et U 109 te] *scripsi* tu U sensus] *de Hartel* sensu U 112 da] iam *conieci* 119 atque] *de Hartel* seque U 122 immensas] *Mai* inmensas U 125 servandi] *Mai* servandis U fasti] *scripsi* fastos U 127 non] nont U, -t *postea eras.* 130 deliciis] *Mai* delitiis U 131 <hoc> *addidi* 132 noti] *Mai* nothi U 133 perennis] *Mai* perhennis U

ipsum se damnat qui peritura rogat.
135 Da potius sensus dociles, da lumina menti,
da mortem membris quae perimunt animam.
Instrue sollicitum, nutantes dirige gressus,
credenti plenam plenior adde fidem.
Sit mihi iustitiae studium, custodia veri,
140 sit purum corpus, sit sine labe animus,
simplicitas, probitas, patientia, mens sibi recti
conscia, sit pietas, sit bene suadus amor.
Non aliena petam, facilis iactura meorum,
sim mundo stultus, ut tibi sim sapiens.
145 Perpetuo imposito moriatur fine voluptas,
nec recolant sensus quod meminisse nocet.
Non ullum bona formidet conscientia testem:
quae loquimur rata sint, quae facimus deceant.
Ambitio, ebrietas, odium, tumor, ira, libido
150 ac varii mater criminis invidia
sint procul et iugi mereatur vita precatu
excusso temptent ne mea colla iugo.
Sic humilis modo mane novo, modo vespere facto
susceptae curem tempora militiae,
155 ut nox si qua venit semper postrema putetur
atque diem mundo ceu moriturus agam:
cessabunt fraudes, periuria, furta, rapinae
impendens metuam si cito iudicium.
Votis, sermoni, factis modus utilis assit,
160 assit praecipuus in tuo amore modus,
ut mihi visceribus totis totisque medullis,
si mereor, totum te, Pater, insinues.
Nox, dies, hora et quodque momentum, scripulus omnis,
puncta etiam nostrae crescere dent fidei,
165 ad quam servandam tua sum pietate iuvandus:
totum posse tuum, vix mihi velle subest.
Ac si multiplices in cassum porrigo curas,
paucis rem verbis plenius expediam:
sunt qui saepe sibi dictis contraria poscunt:
170 utile quod nobis scis, Deus, hoc tribue.

154 susceptae curem] *Mai* susceptae vel suspectae curam U 156 ceu] *Mai* heu U 164 nostrae] *de Hartel* nostra U 168 expediam] *de Hartel* expediens U

Accenso maerens si quaerit lumine drachmam
  et gaudet mulier quod sibi non pereat,
si fuit et pecudis non vilis cura relictae
  pastori centum qui numerabat oves,
175 cuius, cum posset facilis iactura videri,
  dulcia curvatis pondera sunt humeris,
si pater, amisso remeat cum faenore natus,
  testatur largis laetitiam dapibus:
cur dubitem, totum cum sit tua cura per orbem,
180 ne quisquam pereat qui tibi crediderit ?
Nam si quem dudum rebus ratione fruendis
  formavit madido dextera sancta luto,
de nihilo sumptum <in> nihilum finxisse putatur
  ludentis potius quam facientis opus.
185 Denique cum proprio damnatus crimine iusta
  transgressus legem morte perisset homo,
personam mutans, fecisti cedere mortem,
  nec nimium durus nec nimium facilis
dignatus dominus dominum demittere terris,
190 virtutem faceret qui crucis opprobrium
et quidquid poterat pro maiestate iubere,
  hoc potius faceret subditus imperio,
vincula captivis, captivos demeret hosti
  et fixos leti detraheret laqueos,
195 et quod credulitas fallacis vinxerat anguis,
  posset nunc melior solvere credulitas.
Ex te, qui genitus sine tempore et ordine, per te
  sic totum accepit, quod tibi nil minuit;
unus honor, virtus similis, substantia par est,
200 de sancto sanctus, de pietate pius,
plenus de pleno, iusti de fomite iustus,
  de vero verus deque deo deus est.

171 accenso] a- *antea om., postea add. in* U drachmam] *Mai* dragmam U 174 oves] *Mai* opes U 179 cum] *scripsi* quod U 183 <in> *addidi* 185 iusta] iusto *de Hartel, errore opinor typogr.* 187 cedere mortem] *Lucarini Tommasi* c.causam *id est mortis, de Hartel,* cernere causam *Bianco* credere causam U 188 nec...nec] *de Hartel* ne...ne U heic...nec *Mai* 189 demittere] *Mai* dimittere U 190 opprobrium] *Mai* opbrobrium U opprobrio *conieci* 194 leti] *Mai* laeti U 199 honor] *scripsi* homo U 200 sancto] *Mai* sancto sancto U 202 verus] *Mai* virus U

Edita coniugio poterit natura videri
tertia, cum medium composuere duae.
205 Naturae dominus, rerum sator, omnia per quem,
non aliud potius quam quod eras generas.
Hunc post pro nobis sumpturum pondera carnis,
cuius principium saecula nescierant,
infusum reddens dominum sine coniuge mater
210 intacto praegnans virgo parit gremio.
Editur in terra, cognoscunt omnia lucem;
<..>
verus homo est verusque deus, non inter utrumque:
hoc natura negat, hoc probat officium.
215 Christus, securi tandem nova gaudia mundi,
innumeris dudum scripta voluminibus,
Christus caecorum lumen, purgatio leprae,
auditus surdis, sollicitis requies,
claudorum gressus, mutorum lingua, redemptor
220 orbis et addicti vera salus populi,
pertulit aeternus communis claustra sepulchri
et manet aeternus quem tenuit tumulus.
Immortalis erat; est mortuus et modo vivit,
ante deus homo est, nunc deus ex homine
225 conscendit caelum sacrata sede receptus:
perpetuus dominus est erat et veniet.
Tu Pater ingenitus; genitus tibi Filius, ex te
non genitus sanctus Spiritus egreditur,
qui semper medius inter Natumque Patremque
230 sentitur sentit, traditur, accipitur,
sanctificat, spirat, dominatur, totus ubique est,
accessu emundat, munditiis capitur,
dummodo qui religat tria nomina, tres quoque formas
unum consultus non neget esse Deum,
235 virtutis similis, similis pietatis; id ipsum,
unum non unum, sed mage credat idem.

203 natura] *ita habet et* U 204 medium] mediam *vel* duo *Mai* duae] *Mai* due U 209 reddens] *Mai* reddes U 211 in] *de Hartel (ut vid.)* e U cognoscunt] *alterum* -c- *postea ins. in* U 212 *versum a librario in lac. om. ita suppl. Mai amicus coll. Ioh. 1*: nec tamen hanc mundus nec tenebrae capiunt 217 Christus, caecorum] *Mai* Christe, cecorum U 233 tres] *Mai* tresque U 235 *post* pietatis *fortius interpunxi*

Haec ego non quantum volui pro pondere rerum,
  sed quantum vitiis implicitus potui.
Tu concede, Pater, duret mihi semper ut ista
240 una super trina nomina credulitas.

IGNOTI CONQVESTIO DE DOMESTICIS CALAMITATIBVS

Verba tui famuli, rex summe, attende serenus
respice et affectum cum pietate meum.
Sum miser, ut mereor, quantum vix ullus in orbe est:
semper inest luctus tristis et hora mihi.
5 Septimus annus adest, ex quo nova causa dolores
multiplices generat et mea corda quatit.
Captivus extris ex tunc germanus in oris
est meus, afflicto pectore, nudus, egens.
Illius in patria coniunx miseranda per omnes
10 mendicat plateas ore tremente cibos.
Quattuor hac turpi natos sustentat ab arte,
quos vix pannuciis, quis valet, illa tegit.
Est mihi quae primis Christo sacrata sub annis
excubat egregia simplicitate soror;
<..>
15 haec sub sorte pari luctum sine fine retentans
privata est oculis iam prope flendo suis.
Quantulacumque fuit direpta est nostra supellex,
nec est heu miseris qui ferat ullus opem.
Coniunx est fratris rebus exclusa paternis,
20 iamque sumus servi rusticitate pares.
Nobilitas periit miseris, successit egestas.
Debuimus, fateor, asperiora pati,
sed miserere, potens rector, miserere, precamur,
et tandem finem his, pie, pone malis.
25 Captivum patriae redde et genitalibus arvis,
cum modicis rebus culmina redde simul,
mens nostra ut Christo laudes in saecla frequentet,
reddere qui solus praemia digna potest.

Inscriptionem ego addidi; De domesticis calamitatibus *inscripserat Mai* 9 coniunx] coniux *Mai* 10 plateas] *in* U *alterum* -a- *postea insertum* tremente] *Mai* tremento U 11 Quattuor] *Mai* quatuor U 14 *post hunc versum lac. indicavi, cum fortuna mulieris Christo sacratae par illi cuius coniunx captivus erat videri non possit* 17 supellex] *Mai* suppellex U 19 coniunx] coniux *Mai* 23 precamur] *ita habet* U precantum *edd., nescio an consulto* 26 simul] *Mai* sumul U 27 saecla] *Mai* secula U τελως U

INDEX NOMINVM

Ubi tantum numerum Arabicum invenies, scito locum ad Εὐχαριστικὸν pertinere; O. est Paulini *Oratio*, P. est ignoti *Precatio peccatoris*, C. ignoti *Conquestio de domesticis calamitatibus*.